CODEX EPISTOLARIS
PRIMISLAI OTTOCARI II.
BOHEMIÆ REGIS

COMPLECTENS

SEMICENTURIAM LITERARUM

AB

HENRICO DE ISERNIA, EJUS NOTARIO,

PARTIM IPSIUS NOMINE, PARTIM AD IPSUM SCRIPTARUM,

QUAS

EX MSPTO BIBLIOTHECÆ PALATINÆ VINDOBONENSIS ERUIT, ORDINE, QUANTUM POTUIT, CHRONOLOGICO DISPOSUIT, COMMENTARIOQUE ILLUSTRAVIT

THOMAS DOLLINER,

J. U. DOCTOR ET PROFESSOR,

ATQUE

FRANCISCI II.
ROMANORUM IMPERATORIS

HONORIBUS DICAVIT

JOANNES NEP. AB AICHEN,

DUM

SUB AUGUSTISSIMIS AUSPICIIS IN CÆSAREO - REGIA NOBILIUM ACADEMIA THERESIANA ASSERTIONES EX UNIVERSO JURE PUBLICE PROPUGNARET ANNO MDCCCIII. MENSE SEPTEMBRI DIE VI.

VIENNÆ, 1803.

AUGUSTISSIMO,

POTENTISSIMO, AC INVICTISSIMO

ROMANORUM IMPERATORI

FRANCISCO II.

GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, GALICIÆ
ET LODOMERIÆ

REGI,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

DUCI

BURGUNDIÆ, LOTHARINGIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ,
CARNIOLIÆ etc.,

MAGNO DUCI HETRURIÆ,

MAGNO PRINCIPI TRANSSILVANIÆ,

PRINCIPI SUEVIÆ,

MARCHIONI

S. R. I., BURGOVIÆ, MORAVIÆ, UTRIUSQUE LUSATIÆ etc.

COMITI

HABSPURGI, FLANDRIÆ, TYROLIS, GORITIÆ etc.

DOMINO DOMINO

CLEMENTISSIMO.

AUGUSTISSIME IMPERATOR!

Quam Augusta Maria Theresia, indelebilis memoriæ Imperatrix, munificentia vere regia fundaverat, dicatam nobilis juventutis institutioni Academiam TU, gloriosa Aviæ TUÆ premens vestigia, in pristinum, de quo labentibus annis deciderat, statum, splendoremque restituisti. Tantum hoc est, tamque singulare beneficium, ut nec deprædicando ipse sufficiam, nec ulla utut facundissima unquam gratiarum actione æquari posse existimem.

Quid igitur sanctius, quid antiquius instauratæ esse debebat Academiæ, quam omnes suas eo intendere vires, ut ne spem fallat, quam de ea concepisti? Quid exoptatius illi accidere poterat, quam nancisci opportunitatem, qua publico, quod coram TE, Restauratore benignissimo, Patreque amantissimo, instituendum esset, possit comprobare experimento, qui conatibus suis successus responderint?

Felicem me, cui primo a benignitate TUA concessum est, ut sub Augustissimis Auspiciis TUIS in lucem prodeam, atque

in

in conſpectu TUO ſpecimina edam progreſſuum, quos in Academia a TE inſtaurata juridicis, politicisque vacans diſciplinis feceram. Teneo jam, cujus flagrabam deſiderio, occaſionem, palam præſtandi, quod recondite in animo pridem feceram. Dudum eſt, quod domeſtico parentis exemplo edoctus, Pædagogii, in quo verſor, inſtituto admonitus, ipſa denique natura et ingenii propenſione perſvaſus, me ac ſtudia mea omnia TIBI in animo tacitus conſecraverim. Nunc ad MAJESTATIS TUÆ pedes, qua decet, animi demiſſione provolutus publice, quidquid mihi virium, quidquid facultatum unquam erit, TIBI devoveo, TUIS me in æternum obſequiis addico, feliciſſimum me reputaturus, ſi a voluntate facultas nunquam diſcrepaverit.

Ratus quoque priſcum, qui ſub Auguſtiſſima Avia TUA in haud mediocre rei literariæ emolumentum, hujusque Academiæ ornamentum viguit, morem ſequendum eſſe, paginas haſce, quoniam ita per TE licuit, glorioſiſſimo Nomini TUO inſcriptas ſolio TUO admoveo, non quod illas tanta Majeſtate dignas, ſed

quod,

quod, quando in domo TE alterum conditorem adorante, atque ex Bibliotheca a TE publico usui destinata prodiere, TIBI debitas judicem, quodque intelligam, ingratum tibi, qui tantos in promovenda scientiarum incrementa sumptus impendis, accidere non posse, quod literarium; tum vero maxime, ut aliquod saltem utut tenue devotissimi, quo in TE feror, animi extet monumentum.

Continent hæ pagellæ documenta quædam epistolica, quæ ad dilucidandam regionum TUO nunc sceptro feliciter obtemperantium historiam nonnihil faciunt; inter cætera plures etiam literas, ad generosi TUI stemmatis satorem, gloriosissimum Rudolphum I. Cæsarem, ab infensissimo ejus hoste plus quam quingentis abhinc annis datas, quibus titulus et modus, quo Augustissimæ genti TUÆ provinciarum Austriacarum possessio quæsita, ac firmata fuit, egregie illustrantur.

Exile

Exile munus eſt, quod pro tantis in Academiam Thereſianam, patrem meum, meque ipſum collatis beneficiis conſecro. Sed erigit offerentem innata menti TUÆ comitas atque benignitas, qua, cum ipſe maxima confers, minima TE dare credis, in aliis vero animum offerentis, non munus conſideras: Hiſce divinis virtutibus omnium pridem animos TIBI ſvaviſſime devinxiſti, meum certe ita totum tenes, ut nihil ardentius cupiam, quam omni vita dici

SACRÆ MAJESTATIS TUÆ

clientum infimus

JOANNES NEP. AB AICHEN.

AD LECTOREM.

I. Inter cætera reipublicæ præsidia non ultimum sibi vindicat locum historia, quæ, dum regnorum ortum, incrementa, decrementa, atque occasum, aliasque rerum conversiones et temporum longe a nobis remotorum vicissitudines, harumque causas obtutui nostro sistit, tacite nobis utilissimas suggerit doctrinas, quas sequendo imminens malum a cervicibus nostris propulsare, parta tueri, securitatemque ac salutem publicam promovere possimus. Hanc vero utilitatem non resperса commentis, erroribus, conjecturis, aliisque ejusmodi nævis historia, sed ea tantum, quæ veros, certosque eventus tempori, quo reipsa contigerunt, alligans, causasque eorum non fingens aut divinans, sed testimoniis fide dignis probans refert, præstare valet. Inde magis mihi semper de historia mereri visi sunt, qui reconditos ejusdem fontes aperiunt, publicoque usui adaptant, vel singulares de factis dubiis et obscuris, quibus omnium gentium omniumque provinciarum Annales scatent, quæstiones criticis disquisitionibus elucidare satagunt, quam qui integras nationum, provinciarumve historias neglectis fontibus stylo licet elegantissimo contexunt. Illi enim veritatem vel ipsi eruunt, vel ad eam eruendam aliis viam pandunt: hi inspersis, ut persæpe fit, novis erroribus a veritate abducunt. Taceo ad criticas monumentorum veterum editiones vel quæstionum obscurarum elucubrationes longe plus temporis, laboris, judicii atque eruditionis requiri, quam ad componendum ex duobus tribusve libris historicis tertium vel quartum.

II. Haud exigua sunt merita, quæ priori illo modo de re historica, præsertim patria olim sibi comparavit Academia Thereſiana. Prodierunt ex ea *Continuatio Chronici Bohemici olim conscripti a Cosma* 1752, *Diplomatarium Garstense* 1754, *Diplomataria sacra ducatus Styriæ Part. II.* 1756, *Schwandtner Scriptores rerum Hungaricarum P. III.* 1766 et 1768, *Rudolphi II. epistolæ ineditæ* 1771, *Coronini Tentamen genealogico-chronologicum promovendæ seriei Comitum et rerum Goritiæ* 1752, *Tentamen historicum contra vulgatam de Rudolphi I. Habsburgici excommunicatione sententiam* 1753, *Tentamen historicum de Leopoldo illustri, quo tempore Austriæ Marchionatum adiisse censendus est* 1754, *Dialogus, quo disceptatur, anne Rudolphus Habsburgicus regi Bohemiæ Ottocaro ab obsequiis fuerit, eumque tentorio lapsili deluserit* 1755, *Genealogiæ Sonneckiorum Comitum Celejæ Specimina II.* 1755, *Frölich Specimen Archontologiæ Carinthiæ* 1758, *Pray Annales veterum Hunnorum, Avarum*

et Hungarorum 1761, *Ejusdem Annales Regum Hungariæ P. IV.* 1766 et 1767, *Kaprinai Hungaria diplomatica temporibus Mathiæ de Hunyad Regis Hungariæ* 1767, *Pubitschka Series chronologica rerum Slavo-Bohemicarum* 1769, *Coronini Specimen genealogicum Progonologicum ad illustrandam Habsburgo-Lotharingicam Prosapiam* 1774, multaque alia, quæ legere est apud *Denis* Merkwürdigkeiten der Garellischen Bibliothek *pag.* 16 — 32. Indubium est, hæc, hisque similia opera ad famam, gloriam splendoremque Academiæ Therefianæ veteris plurimum contulisse. Vicem illa quodam modo supplebat societatis literariæ, qua Austria adhucdum caret, ad illustrandam historiam patriam comparatæ. Quid vetat, tam gloriosis prædecessorum vestigiis insistere? Sane cavendum est, ne forsitan exulare credatur ex Academia instaurata studium, quo primitus erecta tantam sibi laudem peperit. Quamobrem convenientissimum duxi, data occasione in lucem emittere opusculum diplomaticum simul atque historico-criticum.

III. Servat Bibliotheca Palatina Vindobonensis in amplissima Codicum Msptorum collectione unum, qui plura ad historiam Austriæ, Bohemiæ atque Hungariæ seculi XIII. sub Rudolpho Romanorum, Ottocaro Bohemiæ, Stephano V. et Ladislao Cumano Hungariæ Regibus spectantia monumenta, hactenus incognita, complectitur. Est is inter Codices philosophicos latinos numero 179mus, olim 260mus, partim membraneus, partim chartaceus, foliis constans 203. Prioribus 39 foliis continetur *Boethii* opus *de consolatione Philosophiæ*, quingentis ut minimum abhinc annis in membrana scriptum, cum glossis, quas manus posterior ad marginem apposuit. Reliquam Codicis partem occupant Henrici de Isernia, Ottocari Bohemiæ Regis Notarii, formulæ epistolarum et allocutionum in charta illa crassiori, quæ prima in usum venerat, descriptæ (intermixtis fol. 143—167 quibusdam Allotriis,) vt sunt formulæ nonnullæ epistolarum papalium, Joannis Advocati Lemovicensis somnium Pharaonis viginti epistolis moraliter expositum, Episcopi Lithomislensis ad Petrum Lunensem epistola de pestilentia et Hymnus in Nativitatem Domini. Manus, qua hæc exarata sunt, seculi XIV. et triplex aut quadruplex esse videtur. Prima conspicitur in epistolis 1 — 164 fol. 40—149. Altera scriptæ sunt epistolæ Pharaonis fol. 150 — 165. Tertiam exhibent epistola Episcopi Lithomislensis et Hymnus fol. 166 et 167. Quartam fol. 167 verso usque ad finem præseferunt varia exordia orationum et epistolarum ab Henrico de Isernia exercitandi styli causa conscripta, nec non ipsius et aliorum ad ipsum literæ, pleræque ante adventum ejus in Bohemiam datæ. Manus ultima a penultima parum differt, et forte eadem est cum hac, tantum nonnihil oscitantior. Ipsius Henrici de Isernia eam esse primo intuitu crederes, cum in notis historicis a fol. 167 verso aliquoties insertis in prima persona de illo sermo sit, quod in rubricis aliarum epistolarum proprio etiam nomine ab ipso scriptarum aliter se habet. At literarum ductus non seculo XIII., quo Henricus de Isernia vixit, sed XIV. jam provecto proprii, copiosaque menda, sensum sæpe turbantia, satis indicant, manum esse descriptoris recentioris, et quidem Bohemi, qui phrases vernaculas, Henrico nostro, antequam Pragam venisset, certe ignotas, nonnunquam inspersit. Ita fol. 188 eadem manu

manu ſcriptum legitur: *Bozye myly racz daty zdrawye.* Finis, in quem compilatæ ſunt Henrici de Iſernia epiſtolæ, idem fuiſſe videtur, quem aliis ſimilibus compilationibus e. g. Marculfi formularum, Petri de Vineis epiſtolarum, Rudolphi I. Cæſaris literarum etc. præſtitutum fuiſſe conſtat, ut nempe compilatores iiſdem tanquam inſtrumentis, ut vocant, regulativis oblata occaſione commode uti poſſent. A quo, cujusve juſſu aut in uſum adornata fuerit compilatio, nuſpiam proditum reperi; eam tamen ex autographis Henrici ſchediis factam fuiſſe perſvaſum mihi habeo.

IV. Omnes Codicis epiſtolæ edi haud merentur, cum multæ nonniſi inania verba, aut res privatiſſimas contineant. Aliquæ typum nequidem patiuntur ob abominanda, quæ exhibent, diſſolutorum ejus ſeculi morum exempla. Quare eas tantum, quæ Regis Ottocari nomine, vel ad ipſum ſcriptæ ſunt, atque uſui hiſtorico inſervire poſſunt, ſelegi, inditoque titulo *Codicis epiſtolaris Primislai Ottocari II. Bohemiæ Regis* vulgare conſtitui. Parum tamen lucri caperet hiſtoria ex ſelectis etiam hiſce epiſtolis, ſi nudæ, prout in Codice Mspto extant, publicarentur. Nam compilator formularium tantum, non hiſtoricum earumdem uſum reſpiciens nomina propria perſonarum locorumque ſæpe, diem, menſem atque annum, quo ſingulæ datæ ſunt, ſemper ſuppreſſit. Ita comparatæ vel negligerentur penitus ab Hiſtoricis neſcientibus, quo referendæ ſint, vel huc illucve pro cujuslibet ingenio traherentur, et multiplicem errandi occaſionem præberent. His ut, quantum fieri poteſt, occurrerem incommodis, neceſſarium exiſtimavi, quas publici juris facio, epiſtolas commentario inſtruere, præclarum ſecutus exemplum, quod celſiſſimus S. R. I. Princeps *MARTINUS GERBERT*, Congregationis San-Blaſianæ in nigra ſylva Abbas, in edendo Codice epiſtolari Rudolphi I. Romanorum Regis dederat. Contuli igitur facta in epiſtolis memorata, eorumque adjuncta cum monumentis coævis tam chronographicis quam diplomaticis, aliisque probatæ fidei ſcriptoribus, horumque ſubſidio eruere, ad quem et quo circiter tempore ſingulæ datæ ſint epiſtolæ, reſtituere omiſſa, vel determinare literis tantum initialibus indicata nomina, et obſcuriores illuſtrare pericopes adlaboravi. Succeſſit ultra ſpem meam arduus ſane labor; ſucceſſiſſet fors adhuc melius, ſi tempus ad abſolvendas ex voto omnes diſquiſitiones requiſitum ſuppetiiſſet, cunctaque Bohemiæ monumenta jam edita in promptu fuiſſent. Horum præcipue defectu factum eſt, ut quædam epiſtolæ nec certo anno alligari, nec ſatis illuſtrari potuerint. Inde orta neceſſitas epiſtolas edendas diſpeſcendi in duos libros, quorum primus ordine chronologico diſpoſitas, alter eas, quæ in ordinem chronologicum redigi nequibant, contineat. Singulis, ultima dempta, novam præfixi epigraphen, accomodatam adjunctis, de quibus earumdem argumentum et notæ adjectæ fidem faciunt; retinui tamen religioſe etiam inſcriptiones, ſive rubricas, quas habet Codex Msptus, utpote unicum plurium notitiarum fundamentum. Voces a ſcriba per oſcitantiam ommiſſas et ad plenum intellectum neceſſarias ſupplevi, ipſique textui inſerui, parentheſi tamen incluſas. Verba quoque depravata, ubi id indubium erat, in ipſo textu emendavi, adnotans tamen, quomodo in Codice legantur; ubi vero de ſcribentis mendo non evidenter conſtabat, ſervavi lectionem Codicis, ſubjiciens in adnotatione conjecturam de alia lectione.

a 2 Inter-

Interpunctiones addere aut mutare nonnunquam necesse fuit, ut lector sensum, quem stylus tumidus atque contortus difficiliorem reddit, facilius assequi valeat; orthographiam autem, sive potius arbitrariam illam, et nullis ligatam regulis scribendi rationem, quæ medio ævo viguit, cum sensum non turbet, invariatam reliqui, in hoc unice ab archetypo meo, Codice nimirum Rudolphino, recedens, non quod multum ea in re momenti ad fidem historicam inesse putem; sed ne epistolas diplomatica dudum accuratione descriptas denuo describere cogar. Hac, quam exposui, agendi ratione et fidei editoris satisfecisse mihi videor, et expeditiorem futuris historiographis epistolarum editarum usum reddere conatus sum. Cum divinandum in rebus obscuris et dubiis non raro fuerit, absit, ut ab omni lapsu alienum me existimem. Gratissimum accidet mihi, si, quibus majora præsto sunt, aut erunt aliquando subsidia, docuerint, ubi verum videre mihi haud licuerit.

V. Collatis inter se omnibus Codicis epistolis utcunque accurata Henrici de Isernia, qui passim etiam se Italicum, Siculum, Gibellinum vocat, hominis alias plane ignoti, Biographia texi posset. Ego, ne modum excedere videar, aliqua tantum delibabo, quæ ad plenariam literarum edendarum intelligentiam necessaria judico. Natus fuit Henricus Iserniæ, quæ civitas est regni Neapolitani sita in comitatu Mollisii, seu ita dicta provincia Lenciana. Post obitum patris ab hominibus bonis ejus insidiantibus turbulentis, quæ Friderici II. Imperatoris mortem secuta sunt, temporibus sæpius delati multumque vexati mandato uxoris Ubertini Comitis Venafrani, instigante judice Roberto quondam Medico, bonis omnibus exutus et una cum matre in vincula conjectus, sed post septimestre temporis spatium reduce ex Liguria Comite et causa ab eo retractata libere, quo vellet, abire jussus est. Hæreditatem tamen pecunia redimere debuit. Contumeliis, criminationibus atque insultibus non cessantibus cessit patria, exterasque petiit regiones a). Absentem Henricus quidam de Aliphya per Justitiarium terræ laboris et Comitatus Mollisii, Robertum verisimiliter supra dictum, proscribi, omniaque ejus bona sibi assignari procuravit eo prætextu, quod in exercitu Conradini fuerit. Porrecta pro eo a Cardinale quodam Carolo Siciliæ Regi petitio, ut a banni nexibus liberetur, atque in bonorum possessionem restituatur, effectu caruisse videtur b). Quas terras relicta patria peragrarit, quaque ratione in Bohemiam pervenerit, ipse narrat in notis historicis, quas lucubrationibus suis nonnunquam præmisit.

Fol. 171 verso ait: „*In illius turbine tempestatis, qua bello flagrans Italia estuabat, cum de Gallica editus sobole conflictu victum pariter et afflictum, sibique traditum a pastore recisit ramusculum, qui de stirpe cesarea pulullarat, Ad curiam contuli me Ro.* c), *et ibi infirmus, inops et timidus ista feci*“.

Fol.

a) Epist. Mspta ad amicos fol. 175—182 Codicis. b) Epist. Msptæ fol. 183 et 189 verso. c) id est Romanam, quæ testante historia temporis et pluribus Henrici nostri literis hanc adnotationem sequentibus tum Viterbii fuit.

Fol. 189 verso: „*Vbi octo peractis mensibus maximo cum labore Ad magistrum petrum de prece vocatus mei gressus tramitem lineavi, et cum ipso insudans studio dictatorie facultatis legendo et transcribendo hec dictamina feci*".

Fol. 192: „*Sed quoniam genitricem, Aliosque dilectos mihi* angebar d) *desiderio revidendi, contuli me alatrum, et ibi recitante matre meorum* intellectis e) *amicorum turbacionibus, et insolencijs emulorum has epystolas compilaui*".

Fol. 195: „*Verum quod mendax multilingwis fame preconium magnificis sed fictіcijs tytulis per totam Italiam Misnensem* extulerat f) *marchionem, et in aures tradiderat putas, quod idem intendebat nepotem mittere ad recuperandum regnum sycilie, credens dirrexi gressus meos in* misnam g), *et ibi in* pirna h) *hec feci*".

Fol. 199: „*Postmodum vero, cum iam clareret operum per effectum,* (quod successum) *non debebat habere negocium fridrici, et iam* innotuisset i), *quod falsa erant, que de ipso fama per Ytaliam publicarat, Magistro petro de prece svadente* pauper k) *veni Pragam,* (non) *nisi post langwores multiplices susceptus* fui l) *a terre notario, et in domo permanens hec compegi*".

Prima, quam Pragæ Henricus de Isernia exarauit, epistola fol. 199 verso ita incipit: „*Inter multiplices curarum angustias et rerum strepitus diversarum terra boemie* m) *anxie micat, et quatitur varijs rumorum commentis, causisque incertis fluctuans quasi aliquo morbidata langwore fatiscit, dum proprij regis deplorat absenciam, de cujus continencia in presenciarum non habetur plenaria certitudo, et ad* meticulolosos n) *emulorum insultus* titubat o), *qui eam delere cupiunt, et continuis* impugnacionibus p) *ipsam lacesse* (re) *non desistunt, et precipue in instanti ducem bauarie reformidat, qui eamdem intendit inuadere, prout euidencia facti certis prefigurat indicijs, et ostendit, cum jam mille viros premiserit pedites, qui vias siluarum ex obiectu cesarum arborum fortiter impeditas debeant celleriter expedire*". Inde colligo, Henricum anno 1270 Pragam venisse; eo enim anno Ottocarus Bohemiæ Rex in bellum Hungaricum mox sopitum, dein in Carinthiam, Carnioliam et Forum Julii profectus longe absens fuit q). Timebant Bohemi, ne hac absentia Henricus Bavariæ Dux, inter quem et Ottocarum anno præcedenti graves dissensiones ortæ sunt r), utatur atque in Bohemiam irrumpat. Notarius terræ, qui Henricum nostrum Pragam venientem hospitio exceperat, Henricus Protonotarius Regni Bohemiæ fuisse videtur, quem ille deinceps familiarissimum habuit. Rudi et barbaro utebatur stylo hic Protonotarius s), ideoque homi-

d) Cod. habet: *angebat*. e) Cod. *intellectus*. f) Cod. *extollerat*. g) Cod. *in vijs nam*. h) vel forte *provincia*; nam abbreviatura irregularis ancipitem reddit lectionem. i) Cod. *met in esset*. k) vel forte: *propere*; nam lectio ob abbreviaturam insolitam iterum dubia. l) Cod. *fuie*. m) Repetitur in Codice hoc loco vox: *terra*. n) Cod. *meticulosas*. o) Cod. *titubant*. p) Cod. *impingwacionibus*. q) Vid. Adrian Rauch Oesterr. Gesch. B. III. S. 365—383. r) Chronic. Bohem. cap. 75 apud Mencken T. III. col. 1724. s) Cfr. not. 7 ad epist. IX. editam p. 26.

hominem Italum, qui ſuam in conſcribendis epiſtolis dexteritatem ubique oſtentabat, utilem ſibi fore in concipiendis literis exiſtimare poterat.

VI. Pragæ in domo Protonotarii conſtitutus Henricus de Iſernia mature cœpit cogitare, quomodo et ipſe ad officium Notarii regii eluctari poſſit. Eum in finem nihil prætermiſit, quo famam ſibi et amicos parere poſſet. Erexit in arce Wiſſegradenſi ſcholam Grammaticæ, Dialecticæ atque Rhetoricæ, omnes ſcholares Pragæ degentes, *qui fieri Notarii cupiunt*, *vel cauſarum patroni*, ſparſis programmatibus ad prælectiones ſuas invitans t). Laudibus proſecutus eſt Brunonem Olomucenſem, Bernhardum Seccovienſem, Leonem Ratisbonenſem et Joannem Pragenſem Epiſcopos, Petrum Præpoſitum Wiſſegradenſem et Regni Bohemiæ Cancellarium, Cunonem Decanum Wiſſegradenſem etc., ut eorum ſibi benevolentiam, et per eos Regis Ottocari gratiam compararet u). Brevi Petro Cancellario ita ſe probavit, ut hic ejus opera uti inciperet v). Jam anno 1271 Cancellario cum Rege in bellum Hungaricum profecto comes ad latus fuiſſe, ejusque vice relationem rerum contra Hungaros bene geſtarum ſcripſiſſe videtur w). Reverſus ab expeditione Hungarica ejuſdem Cancellarii, vel Henrici Protonotarii loco Regi Ottocaro Gregorii X. Pontificis electionem, filiique Wenceslai nativitatem literis ſignificavit, epiſtolamque exaravit, qua Ottocarus Cardinalium collegio gratias agit ob peractam Pontificis electionem x). Ut in Regis quoque ipſius gratiam ſe inſinuaret, Nativitatem filii Wenceslai, ſponſaliaque inter filiam Ottocari primogenitam, atque filium Caroli Regis Siciliæ contracta encomiis celebravit y). Licet vero interea conſvetudinem valde familiarem, cujus paſſim extant in epiſtolis Msptis veſtigia, non ſolum cum perſonis Cancellariæ Regiæ, ſed etiam cum Epiſcopis Brunone Olomucenſi et Bernhardo Seccovienſi, qui in Ottocari curia plurimum valebant, conflaviſſet, incaſſum tamen diu laborabat, ut ad exoptatum Notarii officium promoveretur. Diſtulit Epiſcopus Olomucenſis, quamvis ſæpius promiſerit, eum Regi commendare, obſiſtentibus fors nonnullis de ipſa Regis Cancellaria perſonis, quæ eo promoto dimoveri, vel ſaltem ei deinceps poſtponi timebant z). Aliam igitur iniit viam veterator Italus. Novit Ottocarum dignitatem imperatoriam tum vacantem avidiſſime ambire, eaque de cauſa Curiæ Romanæ favorem ſtudioſe aucupari. Adire ergo hanc ſtatuit. Impenſas itineris forte tulit Decanus Wiſſegradenſis, qui negotia quædam ei peragenda commiſiſſe videtur a). Veniens anno 1273 æſtatis tempore in Italiam, Curiam Romanam accedere non audebat ob præſentiam Caroli Siciliæ Regis, hoſtis Gibellinorum infenſiſſimi. Præſtolatus proinde eſt Pontificem cum Cardinalibus ad Concilium Lugdunenſe iturum Bononiæ b). Feliciter res ceſſit. Per amicos, quos olim in Curia Romana ſibi conſcivit, et per conjunctas laudi-

t) Epiſt. MS. 1—7. fol. 40—43. u) Epiſt. MS. 17—24. fol. 47. v. — 52. v.) Ipſe epiſt. Mspta 17. fol. 47. v. gloriatur: „*elegantis Wyſſegradenſis prepoſiti grata munificencia et munifica gratia effert me ac provehit in preſenti*“. w) Cfr. not. 1. ad epiſt. I. edit. p. 5. x) Epiſt. II. et III. edit. p. 6. et 7. y) Epiſt. MS. 27. 28. et 32. fol. 54. 55. et 56. v. z) Epiſt. MS. 50 et 75 fol. 80 et 90. a) Epiſt. MS. 55 et 64 fol. 83 et 85. b) Not. 1. ad epiſt. V. edit. p. 11 et 12.

laudibus preces a Simone Cardinale presbytero tit. S. Martini vel S. Cæciliæ, et Cardinale Bonaventura Episcopo Albanensi non solum ad Brunonem Episcopum Olomucensem, sed etiam ad ipsum Regem Ottocarum commendatitias impetravit literas c), quibus post reditum præsentatis voto demum suo potitus est. Creavit eum Rex Notarium atque familiarem, simulque Godefrido Abbati Strahoviensi commendavit, ut ipsi de victu atque habitatione in monasterio suo provideat d). Sed gaudium ex promotione conceptum mox febris minuit, in quam incidit. Mortuo paulo post Abbate Godefrido et Priore H. ad bona conscribenda profecto male habitus a Suppriore et cæteris Canonicis Strahoviensibus reliquit monasterium, et a Cunone Decano Wissegradensi hospitio exceptus est e). Sanitati restitutus partim epistolis nomine Domini sui Regis conscribendis vacabat, partim legationibus occupabatur f). Ipse refert, se cum Brunone Episcopo Olomucensi planitiem Poloniæ peragrasse g), quod probabiliter occasione legationis cujusdam evenit. Plurimas nomine regis literas exaravit annis 1276—1278. Post Ottocari cædem nullum amplius Henrici nostri vestigium deprehenditur. Fors una cum Domino suo, quem comitabatur, occubuit in prœlio. Extant quidem in Codice Mspto epistolæ duæ h), quæ ad tempus posterius referendæ videntur. Prima „*Rex* (indicante argumento Wenceslaus II., Ottocari filius) *comminatur quibusdam civibus, qui accusati fuerunt, quod contra ipsum proponerent rebellare*“. Altera „*Præfati cives Regem Rogant, ut eorum non credat detractoribus*“. Sed eas a compilatore aliunde assutas fuisse credo. Stylum enim diversum a stylo Henrici de Isernia præseferunt. Sequuntur eas, unica epistola perbrevi interjecta, quæ inter editas est XVta, in Codice 157ma, literæ pontificiæ, quarum auctor Henricus noster dici nequit. Quis denique sibi persvadeat, eandem personam et Regis nomine civibus de rebellione suspectis minatam fuisse, et civium nomine Regem rogasse, ne eos suspectos habeat ac delationi credat?

VII. Ex collectionibus veterum monumentorum alii alia diversis temporibus in penum suam referre solent. Editor omnem, qui fieri possit, eorumdem usum prævidere minime valet. Aliqua tamen, quæ ex editis Henrici de Isernia epistolis in historiam redundatura sunt, commoda primo obtutu se produnt. Epistola I., et ea, quæ adnotationi ad epist. IV. inserta extat, nonnulla bellorum ab Ottocaro annis 1271 et 1273 cum Stephano V. et Ladislao Cumano Hungariæ Regibus gestorum adjuncta scriptoribus incognita pandit. Ex epistolis XII. et XIII. discimus pacem inter Ottocarum et Ladislaum Cumanum anno 1275 initam, aliquasque pacis conditiones, de quibus altum est apud scriptores silentium. Posterior alia quoque retegit facta, ad regimen Ladislai Cumani pertinentia, minime nota, e. g. Comitis Joachimi in Regem auctoritatem, plagium ab eodem Comite in Andrea Regis fratre commissum, et cau-

c) Epist. V. et VI. edit. p. 10 et 14. Epistolæ 40 et 51 insertæ notis ad illas p. 12 et 15. Epist. MS. 78. fol. 91. d) Vid. not. 6. ad epist. IX. edit. p. 25. e) Epist. IX. edit. p. 21. Epist. MS. 68 et 69 fol. 87. v. et 88. f) Epist. MS. 85. fol. 93. g) Epist. MS. 121. fol. 109. h) 155 et 156ta fol. 142 et 143.

causam mortis Stephani V. Epistola VII. una est ex iis, de quibus *Mich. Ignat. Schmidt* e) dicit: „Wenn man die allem Anscheine nach in dem päpstlichen Archiv noch vorhandenen Schreiben des Ottokar an den Papst Gregorius X. einsehen könnte, so würde sich über diese noch ziemlich dunkle Materie weit mehr Licht verbreiten". Sed laudati auctoris conjecturæ de causa impugnatæ ab Ottocaro electionis Rudolphi Habsburgici haud suffragatur. Eadem una cum V. et illa, quæ in adnot. 3. ad hanc producitur, decidere videntur controversiam hactenus inter historicos agitatam, utrum Ottocarus imperialem dignitatem ambierit. In epistola XIX. Ottocarus ipse titulum revelat historicis adhuc ignoratum, ex quo Egram, districtumque Egrensem occupaverit. Ex epistolis XIX. XX. et XXX. patescunt simultatum inter Ottocarum et Rudolphum Cæsarem brevi post laudum Vindobonense exortarum causæ, quas diligentissimus earumdem scrutator *P. Adrianus Rauch* f) erui non posse fatetur. Taceo alia, quæ quisque harum rerum gnarus æstimare poterit. Nihil quoque de commentario, quo illustrantur epistolæ, commemoro, nisi quod in eo passim historici, qui obvios se dederunt, errores emendentur. Ita e. g. in adnotatione 2. ad epist. XV. comitia, quæ Rudolphus I. in procinctu contra Ottocarum constitutus mense Augusto vel Septembri 1276 Campiduni celebrasse communiter creditur, Bopardiam in diem 29. Martii ejusdem anni translata, iterque, quo is cum exercitu in Austriam tetendisse fertur, correctum videbis.

VIII. Hæc sunt, quæ præfanda habui. Tu, lector benevole, laborem meum quantulumcunque æqui, bonique consule. Restat, ut publice, quas decet, gratias agam iis, qui illum humanitate sua promoverunt. Unus est, isque præcipuus illustrissimus Dominus *Josephus Maximilianus Comes de Teczyn-Ossolinski*, vir literarum æque amantissimus ac scientissimus, qui aditum mihi ad Bibliothecam suam, non solum thesaurum rerum Polonicarum in suo genere unicum continentem, sed scriptis etiam ad omnium nationum historiam pertinentibus refertissimam, gratiosissime indulsit, et libros, quos petieram, omnes propensissima benevolentia subministrari fecit. Sine tanta hujus fautoris facilitate fateor me in adornando epistolarum commentario haud profecturum fuisse. Alter perillustris ac clarissimus Dominus *Josephus de Zlobiczky*, a secretis aulicis et publicus lingvæ ac literaturæ Bohemicæ in Universitate Vindobonensi Professor, qui magnam libellorum raro apud nos obviorum, et ineditorum diplomatum res Bohemicas ac Moravicas concernentium collectionem summa animi promptitudine mihi perlustrandam exhibuit. Utriusque in præstandis mihi subsidiis singularem liberalitatem grata, dum vivam, memoria prosequar.

e) Geschichte der Deutschen V. B. S. 34. Wiener Auflage f) Oesterreich. Geschichte B. III, S. 604. 611. et 621.

Sylla-

Syllabus Libri I.

Ordo chronologicus epistolarum cum nova epigraphe singularum.

causam mortis Stephani V. Epistola VII. una est ex iis, de quibus *Mich. Ignat. Schmidt* e) dicit: „Wenn man die allem Anscheine nach in dem päpstlichen Archiv noch vorhandenen Schreiben des Ottokar an den Papst Gregorius X. einsehen könnte, so würde sich über diese noch ziemlich dunkle Materie weit mehr Licht verbreiten". Sed laudati auctoris conjecturae de causa impugnatae ab Ottocaro electionis Rudolphi Habsburgici haud suffragatur. Eadem una cum V. et illa, quae in adnot. 3. ad hanc producitur, decidere videntur controversiam hactenus inter historicos agitatam, utrum Ottocarus imperialem dignitatem ambierit. In epistola XIX. Ottocarus ipse titulum revelat historicis adhuc ignoratum, ex quo Egram, districtumque Egrensem occupaverit. Ex epistolis XIX. XX. et XXX. patescunt simultatum inter Ottocarum et Rudolphum Caesarem brevi post laudum Vindobonense exortarum causae, quas diligentissimus earumdem scrutator P. *Adrianus Rauch* f) erui non posse fatetur. Taceo alia, quae quisque harum rerum gnarus aestimare poterit. Nihil quoque de commentario, quo illustrantur epistolae, commemoro, nisi quod in eo passim historici, qui obvios se dederunt, errores emendentur. Ita e. g. in adnotatione 2. ad epist. XV. comitia, quae Rudolphus I. in procinctu contra Ottocarum constitutus mense Augusto vel Septembri 1276 Campiduni celebrasse communiter creditur, Bopardiam in diem 29. Martii ejusdem anni translata, iterque, quo is cum exercitu in Austriam tetendisse fertur, correctum videbis.

VIII. Haec sunt, quae praefanda habui. Tu, lector benevole, laborem meum quantulumcunque aequi, bonique consule. Restat, ut publice, quas decet, gratias agam iis, qui illum humanitate sua promoverunt. Unus est, isque praecipuus illustrissimus Dominus *Josephus Maximilianus Comes de Teczyn-Ossolinski*, vir literarum aeque amantissimus ac scientissimus, qui aditum mihi ad Bibliothecam suam, non solum thesaurum rerum Polonicarum in suo genere unicum continentem, sed scriptis etiam ad omnium nationum historiam pertinentibus refertissimam, gratiosissime indulsit, et libros, quos petieram, omnes propensissima benevolentia subministrari fecit. Sine tanta hujus fautoris facilitate fateor me in adornando epistolarum commentario haud profecturum fuisse. Alter perillustris ac clarissimus Dominus *Josephus de Zlobiczky*, a secretis aulicis et publicus lingvae ac literaturae Bohemicae in Universitate Vindobonensi Professor, qui magnam libellorum raro apud nos obviorum, et ineditorum diplomatum res Bohemicas ac Moravicas concernentium collectionem summa animi promptitudine mihi perlustrandam exhibuit. Utriusque in praestandis mihi subsidiis singularem liberalitatem grata, dum vivam, memoria prosequar.

e) Geschichte der Deutschen V. B. S. 34. Wiener Auflage f) Oesterreich. Geschichte B. III, S. 604. 611. et 621.

Sylla-

Syllabus Libri I.

Ordo chronologicus epiſtolarum cum nova epigraphe ſingularum.

red.

Syllabus Libri II.

Series epistolarum, quæ in ordinem chronologicum redigi non poterant.

LIBER

LIBER I.

Epiſtolæ ordine chronologico diſpoſitæ.

I.

Ottocarus Cunigundi Reginæ, vel alteri cuidam proſperos contra Hungaros progreſſus notificat, aliis promulgandos. 1271 Majo vergente.

De victoria obtenta contra vngaros a Rege Boemie 1).

Noſtrorum felicium geſta proceſſuum incrementis adaucta notivis, que nouiter proſperis promouit dirigendo ſucceſſibus diſpenſatoris dextera prepotentis, ad exultacionis veſtre tripudium et plauſus iocundi ſolemnia uobis preſencium programate denotamus. Infeſta igitur nobis et innu-

meris profesta mortalibus Regis vngarorum tyrampnides, et seuicie feritas truculente, quibus ueluti furialibus agitatus stimulis diuine potencie non reueritus melitam maiestatem, nec uerens aput homines infamie notam incurrere, impudenter defederato federe, quo nobis olim se pacifice federanat, et fide infideliter uiolata, uelut atrox bestia humanum siciens sanguinem in nostre *seuiit* 2) homines dicionis, sicut vobis credimus non fore (in)cognitum, cum fere sit notorium vniuersis, ad propulsandas iure contumeliosas, que inferebantur, iniurie uiolencias nostre sinceritatis culmen impulit, accendit, armauit, Ita quod in manu forti et excelsi brachij potentatu ad ipsius Regnum celeri cursu direximus gressus nostros, cupientes illum, qui dubium fraudulenter lacescere martem non timuit, marthialibus armis patenter inuadere, uisitare ipsum in proprijs laribus et potenter *prosternere* 3) uisitatum. Cuius siquidem regni metas, quas dictus Rex, ne nobis liber pateret transitus, fecerat custodiri, ponte super Morauam constructo uelociter et transacto, letabundis auspicijs attingentes, dum nullos inueniremus alicuius obice repaguli resistentes, hijs, qui positi erant ad transitum defendendum, ut credimus, fama terrifica nostre potencie concussis et eciam *effugatis* 4), maturauimus accessum vlterius, et Castro Presburch viriliter expugnato versus Tyrnam et partes alias, circa Morauiam et Poloniam adiacentes, direximus iter nostrum, vbi municiones turrigere, opidaque aggeribus vallata profundis, tum congressibus bellicis et inuite, tum sue saluti consulentes proprie voluntatis arbitrio sub iuga nostri dominij sunt deducta. Post quorum dedicionem, ut diximus, tam voluntariam quam inuitam super fluuium, qui vaha dicitur, Tyrne terras irrigue scaturiginis vberantibus vndis largiflue influentem, qui negans transitum se non exhibet habilem ad uadandum, pontem fecit construi nostre preeminencia maiestatis, per quem pars quedam nostri exercitus transiens usque *ad flumen Tyzan* 5) sine vllius obiecti cucurrit obstaculo, et Castrum Nytre, in quo sedes pontificalis existit, *Ciuitatem* 6) et alia loca fortitudinis robore communita, tam vicinitate situs proxima quam remota, nostre subdidit dicioni. Verum dum singula nobis ad uotum cederent, Retrocessimus aliquantum versus Danubium occasione pontis, quem iuxta Presburch fieri fecimus, nostri gressus tramitem lineantes. A cujus quidem altera parte fluminis, que fluuios *Rabuch et Raban* 7) respicit, cum nostra figi tentoria fecissemus satis ponti contermina, commodo transeuncium circumspeccione

salu-

salutifera prouidentes, in vngaros et Comanos innumeros, qui nostris transire volentibus impedimentum venerant irrogare, fortiterque iam ceperant contra gentem nostram ipsorum respectu modicam, que iam transierat, conflictu acerrimo insseuire, irruimus personaliter *cum* 8) ingenti nostrorum militum comitiua, ex quibus pluribus interfectis, qui superstites aderant, proximo sabbato post festum sancte crucis, per *vituperabile* 9) fuge sed eis tum frugi auxilium ex ore se nostri gladij, qui eorum cupiebat saturari sanguine, subtraxerunt, vltra Ciuitatem Mysenburch et Castrum Altenburch et aquam, que Leytha vocatur, infausto et execrabili eorum omine sua hospicia collocantes. In quos Sexta feria sequenti audacter insiliens nostre milicie ala quedam, limosa leytha inopinabiliter transuadata, et nobis iam iuxta predictum Castrum Altenburch Castra metantibus, Castroque Cheruellenburch per suos habitatores exusto pre timore nostri, qui eorum cordium intima intestinis concussionibus profundius quaciens coegit eos de nostra misericordia desperare, belli discrimen mire cepit protinus cum eisdem. In quorum auxilium, dum concurreret pars aduersa, sicut necessitatis exigebat articulus, nostrorum velociter iuimus pugnancium in succursum, et post multorum strages, captiuitates plurium et fugam omnium reliquorum ad nostra Castra remeauimus in nullo nostro exercitu diminuto. Post hec autem omnia, vbi Castrum altenburch antedictum tum machinarum tormentis continuis laceratum, tum alijs debellandi lacessitum generibus, suis debilitatum virtutibus et viribus cepimus deuiratum, vbi Ciuitas Misenburch nostris iussionibus se subiecit, Aduersus quam nostre indignacionis ualide ira fremens in eam depopulacionis sentenciam tulimus eiusque omnia edificia terre fecimus adequari, ubi pontium suffragijs aquam predictam illese transiuimus et paludes, et aliquociens valdones nostros ad depopulacionem insularum et aliarum terrarum vngarie mitteremus, ad nos residendentes iuxta predictam ciuitatem ad dimidium miliare venerabilis pater vesprimiensis Episcopus, (et) Comes Rolandus maior vngarie *Banus* 10) pro reformanda pace inter nos et Regem Stephanum per ipsum olim tam viliter deformata venerunt, Treugas vtrinque fieri infra triduum postulantes. Quorum peticionibus hilariter annuentes, nuncium nostrum cum ipsis misimus, ut ipsius Regis uideret exercitum, et sui status continenciam solerti studio *indagaret* 11). (Qui siquidem nuncius simul cum nuncijs Episcopi et Comitis predictorum ad nos remeans, gentis innumera-

bilis multitudine circumuallatum fore Regem vngarie nuncians, pecijt vna cum nuncijs prelibatis, ut prefatis Episcopo et Comiti a nobis daretur copia rursus nostram excellenciam adeundi. Nos autem hoc iterum admittentes usque ad duorum dierum spacium treugas prolixauimus, dictos legatos suscepimus, eisque auditum prestitimus fauoralem, et ipsorum uerbis plenarie intellectis, cum nobis in aliquo non placerent, eoque maxime quod ea omnia resignari petebant domino suo, que virtute gladij fuerant aquisita, eos abire permisimus rebus statu remanentibus in priori. Demum vero cum longam belli expectacionem, ad quod noster animus ardentibus desiderijs anhelabat, ipse Rex vngarie calumpniosis dilacionibus procrastinans, cogeret fere nostre mentis gaudium exulare, ne nostra nobiscum desideria senescerent, ymo quasi penitus interirent, qui non poteramus eum ad preludia pugne per audacie modum adducere, elegimus eundem per alterius uie modum ad idem pugne comercium inflammare, ut uidelicet uestigijs prioris conflictus, quem secum aput Morauam gessimus et de ipso triumphum nostra serenitas obtinuit concupitum, firmius inherentes fingeremus nos retrocedere, quasi fugam simulantes, ut ipse postmodum sequeretur. Quod quidem, quam ratum fuerit, aliter non euenit. Nam quasi timoris gelicidio propter sue gentis multitudinem terrefacti trepidacione cessimus, uelut tergiuersacione quadam formidinis fugam arripere pretendentes. Quod postquam ad eius audienciam est delatum, assumpsit animum, iterum accingitur, insecutus est fugere simulantem, et in Octaua ascensionis Domini nos cum multis suorum milibus est aggressus. Nos autem, qui talia gliscebamus, et exspectaueramus diucius illum diem, nostrorum strenuorum militum structis cuneis et aciebus singulis iuxta debitum ordinatis, in ipsos inmani manu et ingenti gentis nostre molimine insurgentes, taliter hostes repressimus, et fauente diuina gratia contriuimus inimicos, ut nostre molem potencie ferre penitus nequeuntes in fugam se conuerterent vniuersi, qui funestas inter acies nostris subducti gladijs non ruere. Sed ipsos tamen usque ad flumen Rabinicz, quod a loco, vbi congressus belli fuerat, per tria maxima milia distans erat, nostrorum caterue militum persequentes, in ipsa fuga morti quam plurimos tradiderunt, in flumine ipso innumerabilibus submersis, sicut ex relatibus accepimus diuersorum et fama docente didicimus, cum habere certitudinem non possemus, multitudo est depressa nobilium et non pauci ex principibus exercituum cecidere. Quade

de causa talium nostrorum successuum exhilarati fauoribus, in leticie plenitudine congaudentes presencium nostrorum magnalia, qui de nostro emolumento letantur, et audire de nobis noua felicia siciunt, promulgetis.

1) Si ea, quæ narrant ad an. 1271 Chronica Claustro-Neoburgense apud *RAUCH T. I. S. R. Austr. pag.* 107 *et* 108, Austr. apud *eund. T. II. p.* 256 et apud *FREHER T. I. S. R. G. p.* 463, Leobiense apud *PETZ T. I. S. R. A. col.* 834, Paltrami *ibid. col.* 718, Horneckii apud *PETZ T. III. cap.* 91—96 *pag.* 103—110, Pulkavæ apud *DOBNER T. III. Monument. Bohem. p.* 234, Steronis apud *FREHER T. I. p.* 557 et alia, cum tenore præsentis epistolæ contuleris, nullatenus hæsitabis affirmare, eam ad an. 1271 spectare. Nec de mense dubium suboriri potest. Ejusmodi relationes bellicæ scribi solent proximis post reportatam victoriam diebus; Ottocarus vero victoria ultima, eaque maxima potitum se dicit in Octava Ascensionis Domini, quæ dies eo anno fuit 21ma Maji. Obsignatæ igitur sunt hæ literæ Majo vergente. Henricum de Isernia huic bello Hungarico interfuisse colligere licet ex epistola 18. fol. 48 verso Codicis Mspti, Bernhardo Seccoviensi Episcopo inscripta, in qua ait: „*licet olim in versipellis metis vngarie contra Dominum B. Olomucensem Episcopum et me, qui sacri partem Imperii tuebamur, vos gentis ambicionem Plattigere defendentes insurgeretis virilibus argumentis.*“ Hæc de expeditione Ottocari anno 1273 in Hungariam suscepta intelligi nequeunt, cum ea in menses Augustum et Septembrem inciderit, quibus Henricus de Isernia in Italia fuit, prout ostendi in adnotatione 2. ad epistolam V.

2) Cod. habet: *seuiat.*

3) Cod. *prosterne.*

4) Cod. *effugacionis.*

5) *ad flumen Tyzan.* Chronicon Claustro-Neoburgense apud *RAUCH T. I. p.* 107, quod exactissimam continet horum gestorum narrationem, ait: *ad fluvium Gran*, et hoc verisimilius est. In Codicem nostrum scribæ oscitantia error irrepsisse videtur.

6) *Civitatem.* Nomen suppressum videtur, et restitui nequit Chronicis tacentibus, nisi ipsam civitatem Nytram, a Castro Nytre fors distinctam, intelligi velis.

7) *Rabuck et Raban.* Lege: *Rabnitz et Rabam.*

8) In Codice huic verbulo præfixa est litera *d* cum signo abbrevationis, ita ut, nisi contextus aliud svaderet, legendum foret: *dictum.* Fors Originale habuit: *unacum.*

9) Cod. habet: *vituperabilem.*

10) Cod. habet: *Ranus.*

11) Cod. *indagare.*

II.

II.

Nunciatur Ottocaro Regi electio Gregorii X. Pontificis, et natiuitas filii Wenceslai. 1271 Septembri vergente.

Ad gaudium nunciatur Regi noui pape creacio et Natiuitas Domini Regis.

Festiui gaudij noua solemnia. Iocunditate celebri sacre Regie maiestati presentibus *referatur* 1), quod respiciens ex alto Dominus plebem suam, qui potens est de excelsis auxilium mittere, mundo et rebus prouidit nouiter, qui sub tenebrarum iacebat caligine inuolutus et nobis specialiter omnibus, qui sub uestri consistimus regiminis potentatu. Quia ecce! quod non sine grandi dico leticia, et in iubilo refero mentis mee, aurora consurgente populis, sol mundo emicuit matutinus, qui per orbis lucens orbitam purgabit tenebras, papa Nouus, Dominus uidelicet *Theobaldus placencie vice Comes et Archidiaconus Leodiensis* 2) in pontificalis cathedre apicem sublimatus, sicut plene vobis patere poterit per literas speciales; Nec non et quod in maioris festiuitate tripudij et in gaudijs animi impar uobis nuncio infinitis, ut iocundis iocundiora consonent, feliciora concordent felicibus, et gratis respondeant graciora, Illustrissima Domina Regina Boemie, consors vestra, *in aurora diei dominici* 3) suo felici partu edidit solem vestre dicioni subiectis gentibus singularem, Qui noua luminis sui claritate mentes exhilarans subditorum letabundis applausibus, Regno vestrisque provincijs arridebit, dum spes de cetero vestrorum fidelium in nouelli Regis plantula generosa stabilita firmissime nullatenus fluctuabit, ymo spes in stirpe Regia singulorum firmabitur, et fidei sinceritas reintegrabitur vniuersis. In cuius nouitatis auspicijs, concurrentibus hijs duobus non sine diuine prouidencie gratia manifesta, Rege uidelicet tenero (et) Papa nouo, letabundo mundo vestra celsitudo congaudeat, et in suo sibi complaceat filio exultacionis leticia specialis.

1) Cod. habet *referetur*.

2) *Theobaldus Placencie vice Comes et Archidiaconus Leodiensis.* Erat is, ut liquet ex *RAYNALDO Annal. eccl. T. XIV. p.* 182 *et* 183, Gregorius X., Pontifex electus die prima Septembris 1271. Ad nuncium hujus electionis in Bohemiam afferendum iis temporibus viginti dies vix sufficiebant. Exinde constat, epistolam praesentem nonnisi tertia Septembris decade dari potuisse.

3) *In aurora diei dominici.* Chronicon Pragense Francisci apud *PELZEL et DOBROWSKI S. R. Boh. T. II. p.* 11 refert: „*Anno Domini MCCLXXI. in die beatorum Martyrum Cozmae et Damiani natus fuit Wenzeslaus inclytus Rex Boemiae.* Cronicon Pulkavae apud *DOBNER Monument. Boh. T. III. p.* 234 ait: „*Anno Domini MCCLXXI. Inclita Guneguwdis Regina Boemiae V. Kalendas Octobris peperit filium, cui nomen imposuit Wenceslaus*„. Chronicon Aulae Regiae apud *DOBNER T. V. p.* 35 narrat, juniorem Ottocari Regis filium, et, duobus aliis mox in infantia defunctis, verum regni heredem ac postmodum successorem *in vigilia sancti Wenceslai Martyris* fuisse natum, ideoque proprio nomine Wenceslaum appellatum. Omnes hae temporis notae concordant, Wenceslaum, Ottocari Regis filium, lucem aspexisse die 27. Septembris anni 1271, quae eo anno erat Dominica. Nativitas filii adeo exoptati certe vel eadem ipsa die, vel una ex proxime sequentibus Regi nunciata fuit. Dubio proinde caret, epistolam hanc ultimis quatuor Septembris diebus scriptam fuisse.

III.

Ottocarus Cardinalium Collegio gratias agit ob electionem Gregorii X. Papae consummatam. 1271 Octobri.

Quod papam elegerant, Rex cardinalibus grates agit, quia eos rogauerat, ut ipsum Dominum papam eligerent.

Quod dissolutis vndique tenebris, quas vniuerse terre faciem obtegentes *maioris dudum eclipsis induxerat Luminaris* 1), ad oportune nostre peticionis instanciam, mundo rebusque prouidens uestre gratie plenitudo, in noui substitucione pontificis affectate lucis uotiua gaudia reparauit, Deo vobisque ad gratiarum assurgimus vberes acciones, Quia iam orbis orbita, que varijs rumorum commentis fluctuans, in tanto rerum strepitu po-

posita quodammodo facifcebat, et illorum mentes omnium, quos infignis prefignit religio fidei Xpiane, que uelut in estuantis pelagi altitudine commorantes, dum proprij Remigis carerent suffragio, *ac sui* 2) pastoris desistenciam deplorarent, quasi procellarum exagitate spiritibus vacillabant, ad desiderate portum tranquillitatis et gaudij peruenerunt.

1) *Maioris dudum eclipsis induxerat luminaris.* Codex mendose habet: *maiorum.* Per Luminare maius Papam intelligit scriptor epistolæ Henricus de Isernia, qui tamen, quemadmodum ex epistolis 18 et 117 fol. 48 et 106 versis Mspti Codicis patet, contra Bernhardum Episcopum Seccoviensem alias defendit, Imperatorem esse luminare majus, Papam minus. Dudum sedem pontificalem vacasse, ecclesiamque Christianam variis rumoribus territam fluctuasse; innuit epistola, antequam Papa, de quo sermo est, electus fuerit. Apprime hæc quadrant in electionem Gregorii X., quæ ob continua Cardinalium in contraria studia tendentium dissidia diutissime protracta fuit, ita ut post mortem Clementis IV. (1268. 29 Nov.) duobis annis et novem fere mensibus viduata summo pastore exstiterit ecclesia, graveque periculum incurrerit. Vid. *RAYNALD. T. XIV. Annal. eccl. p.* 171 *et* 183. Cum porro epistola hæc in Codice immediate subsequatur præcedentem, qua Regi Ottocaro Gregorii X. electio nuntiatur, nullus esse potest dubitationi locus, quin exarata fuerit aliquos post dies ab illa accepta, consequenter mense Octobri anni 1271.

2) Cod. habet: *casui.*

IV.

Ottocarus Brunoni Episcopo Olomucensi propositum suum significat Hungaros malignantes et inquietos bello petendi. 1273 Aprili vel Martio.

Scribit Dominus Rex, quod vngaros intendit agredi manu hostili, quia pacem non seruant 1).

Reuerendo in Xpo patri Domino B Venerabili Olomucensi Episcopo O. Dei gracia Rex Boemie salutem et sincere dileccionis affectum. Testamur

Deum

Deum, qui cordium ſecreta rimatur: quod libenter voluimus cum vngaris ad pacis et concordie devenire ſtabilem vnionem. Sed poſtquam tumultuariam gentem malignandi motus exagitat inquietus, Sciatis, quod is non niſi pace, quam nobis victoria pariet, ad temperate tranquillitatis limites conquieſcet, de Regis benignitate pacifici confidentes, quod nobis taliter aſſiſtere debeat, ut illos ſub iuga pacis ire cogemus, quorum ſtimulante diſcordia nobis ad gerendum bella tociens ſurgunt ire.

1) Ut epiſtolam hanc de bello intelligam, quod Ottocarus anno 1273 contra Hungaros ſuſcepit, ſequentia ſvadent argumenta. Pacem præcedentem anno 1271 teſtibus tabulis apud ***RAYNALD.*** ***Annal. eccl. T. XIV. p.*** 185 ***ſqq.*** Bruno Epiſcopus Olomucenſis compoſuit. Intentio igitur eandem irritandi illi præprimis aperiunda fuit. Pax illa maximis ſolemnitatibus munita fuit. Inde aſſeveratio neceſſaria, quod libenter eam ſervare vellet. Rex Hungariæ anno 1273 erat Ladislaus Cumanus, adhuc puer, in quem nihil culpæ conjici poterat. Propterea à tumultuaria gente ad bellum ſe provocari dicit Ottocarus. Malignandi motum inquietum, qui Hungaros exagitat, bello prætexit. Eandem belli anno 1273 ab Ottocaro contra Hungaros geſti cauſam aliis verbis enuntiant Chronicon Auſtr. apud ***FREHER T. I. p.*** 465 et apud ***RAUCH T. II. p.*** 160, Leobienſe apud ***PETZ T. I. col.*** 841, Clauſtro-Neoburgenſe apud ***RAUCH T. I. pag.*** 109, nec non literæ Henrici de Iſernia, paulo infra inſerendæ. Verba denique: TOCIENS *ſurgunt ire* commodiſſime accipi poſſunt de ultimo bello, quod anno 1273 cum Hungaris geſſit Ottocarus. Ante menſem Julium datam fuiſſe epiſtolam dubitari nequit, eo quod teſtantibus Chronicis præfatis in feſto S. Jacobi Ottocarus copias ex novem ſuis provinciis jam ad Laa Auſtriæ oppidum congregatas eſſe voluerit. Ad convocationem et congregationem exercitus ex omnibus ditionibus Regi Bohemiæ tum ſubjectis aliquot menſium ſpatium requirebatur. Conſilium ergo in Hungaros arma movendi ab Ottocaro jam menſe Aprili vel Martio initum eſſe debuit. Ad hocce igitur tempus etiam literæ præſentes, quibus Ottocarus propoſitum ſuum Brunoni Epiſcopo Olomucenſi patefecit, referendæ erunt.

Quamvis Henricus de Iſernia bello Hungarico, quod anno 1273 geſtum eſt, haud interfuerit, eo tempore in Italiam profectus, redux tamen mox ante Ottocari reditum ſucceſſum expeditionis ſcholaribus ſuis ſingulari programmate denuntiavit, quod, cum ad confirmandam, elucidandam atque ſupplendam Chronicorum ſupra laudatorum de eodem bello narrationem nonnihil facere videatur, hic loci ſubnectere non abs re erit.

Epiſtola 37. Codicis fol. 77.

Proceſſus contra vngaros per Magiſtrum H. Scolaribus denotatur.

Qualiter contra vngarorum gentem fallacem Cumanamque perfidiam Regie proceſſerit excellencie celſitudo, etſi multilinguis fame relatibus ad veſtram potuerit noticiam perueniſſe, vobis

vobis tamen tenore presencium audam claramq; describimus veritatem, ut nostri (nostris) redditi literis cerciores, securi ualeatis de Domini nostri successibus exultare. Primum quidem cum maiestas regia, dolis vngarie concita, quasi amplius dissimulare non valens, ut ipsa ingrederetur, ingentes erexerat animos, et sue conuertens intencionis propositum iusserat exercitum congregari, quidam frater ordinis minorum pro parte vngarorum Regem nostrum adijt, et super facto Treugarum secum tractatum habens Treugas inijt cum eodem, Quo quidem facto, Quoniam gentis illius est fides fidem aliquam non servare, veritas non dicere veritatem, et opinatur esse periurium periuria non committere, et mendacium esse reputat nil mentiri, statim veniens contra Treugas ingressa fuit Morauiam cum inumerabili multitudine comanorum. Quod ubi auribus Domini Regis innotuit, inmenso exercitu congregato, versus eos leonum direxit signa victorum, celeri eis festinancia cupiens obuiare, et dum communis haberet opinio, quod ipsi secum dubij martis deberent discrimina (inire), sibique bellicis congressibus repugnare, aduentantes terga uerterunt, verum quamuis per fuge subsidium se conarentur eximere a gladij facie persequentis, non sic illesi euadere potuerunt, quin ex ipsis plurimi caderent subsequentium dextera, et vada fluminis innumeros absorberet. Perfidis itaque fugatis vngaris et Comanis, cum iam nullum in campis inueniret obicem Regie supereminencia maiestatis, ad expugnanda Castra suam conuertit potenciam, et Castro Pusonij machinarum impulsionibus, alijsque tormentorum generibus viriliter expugnato, infra breue temporis spacium totus comitatus Pusonij, quem hactenus tenebat Magister Egidius, cum villis atque Castris armis triumphalibus acquisitis Regali fuit subditus dicioni; hijs denique absque nostrorum lesione peractis, ad quandam Ciuitatem se postmodum contulit magnificencia principalis, que Jaurinum dicitur et est dignitate predita cathedre pastoralis, qua quidem obtenta potenter, ceterisque ipsius Episcopatus villis et municionibus expugnatis et aquisitis, in excelsi brachij potentatu illam continuato Cursu Dominus Rex ingressus fuit felicem Pannoniam, que beatum Martinum gignere meruit, et ipsam sibi totam Regij potentia culminis uendicauit. Demum vero versus septentrionalis plage zonam algidam se conuertens obsedit supprenium (*Sopronium*), et ipsum frequentibus ac terribilibus machinarum ictibus flagellatum non dedignata est Regalis benignitas animi suscipere, que semper prostratis consueuit parcere, et pulchrius reputat misericorditer agere, quam seuire.

V.

Simon Cardinalis presbyter, titulo S. Martini vel S. Cæciliæ, commendat Ottocaro Regi Henricum de Isernia ad officium Notarii promovendum. 1273 Septembri.

Rogatur Dominus Rex pro Magistro H.

Quia speramus uos ad imperialis fasces culminis ascensurum, quin pocius ardentibus desiderijs prestolamur, et illos, quibus potestas summa comi-

mittitur, perſonas decet habere ydoneas, quibus reipublice utilitas explicetur, idcirco nos libenter ea perquirimus, que ad veſtri ſpectent gloriam principatus. Vnde cum *de yſernia lator preſencium* 1), quem dileccione ſpeciali proſequimur et fauore, non modicum ſit ueſtre celſitudini expediens ad officium Notarie, Serenitatem Regiam attente duximus deprecandam, quatenus eundem *recipere dignetur in ſuum Notarium et fidelem* 2), nec de ipſo poteſt Regia maieſtas dubitare, qui noſtro meruit examine approbari, quoniam exploracionis argute ſolemus trutinare ſolercia, quidquid noſtro iudicio redditur approbatum.

1) *de yſernia lator preſencium.* Acceſſit ergo Henricus de Iſernia perſonaliter Cardinalem Simonem, a quo præſentes ad Ottocarum impetratas fuiſſe mox oſtendemus. Veriſimillimum quoque eſt, eas ab ipſomet vice Secretarii Cardinalis adumbratas fuiſſe, cum inter reliquas ejus literas reperiantur. Henricum, ex Bohemia peregrum, Italiam patriam ſuam aliquando revidiſſe, plures Codicis Mspti epiſtolæ innuunt. Eum hac occaſione mandatis, quantum ex aliis ejuſdem Codicis epiſtolis ſuſpicari licet, Decani Wiſſegradenſis onuſtum, Curiam quoque Romanam adiiſſe, probant literæ in nota 6. ad epiſtolam IX. producendæ. In quod vero circiter tempus hocce Henrici iter inciderit, colligi poteſt ex epiſtola, quam ſubjicio.

Epiſtola 57. Cod. fol. 83 verſo.

Decano ſtatus ſui continencia et noua Curie declarantur.

Salubris aſſumpto conſolacionis remedio de triſti obitu fratris mei, quia propter ſeueri preſenciam Karoli, eleccionem de Imperatore prece, viribus, precio impedire conantis, ſingulos eciam ſeuientis in Syculos, qui de parte fuerint Gybellina, ſequi ſecure curiam non ualebam, cuius Nuper filio nata Domini Regis Boemie ſuadente papa tradi debet vxorios in amplexus, matrimonio, quod cum filio lantgrauij contraxerat, in irritum auctoritate apoſtolica reuocato, tam de amicorum meorum, quam Domini Martini conſilio, qui ad veſtras literas ſe michi totum exhibuit, me iam ſanitati priſtine reſtitutum ſummi aduentum pontificis Bononie noueritis preſtolari: prebendam olim Magiſtri Angeli cuidam collatam fore ytalico, et omnis expertem gracie Iheſu Xpi eſſe vicarium, qui miras, prout dicitur, in futuro concilio ſtatuet nouitates.

Mentio injicitur hiſce literis futuri Concilii, ſcilicet Lugdunenſis, a Gregorio X. Pontifice ad Calendas Majas anni 1274 indicti. Ut cœteris exemplum diligentiæ in ſuſcipiendo itinere Lugdunenſi explicaret, Gregorius jam ineunte æſtate anni 1273 una cum Cardinalibus, Carolo Siciliæ Rege, pluribusque aliis proceribus ſtipatus, Florentiam profectus eſt, ibi æſtatem transacturus. Venit Florentiam die 18. Junii, ibique permanſit uſque ad diem 6. Julii, tum Mugellum ad Cardinalem Octavianum de Ubaldinis ſecedens. *RAYNALDUS Annal. eccl. T. XIV. p.* 212 *ad an.* 1273. *RICORDANUS MALASPINA apud MURATORI S. R. I. T. VIII. col.* 1018.

1018. Commorantem Florentiæ et Mugelli Henricus de Isernia accedere non est ausus ob præsentiam Caroli Siciliæ Regis. Præstolabatur ejus adventum Bononiæ. Per Bononiam vero Gregorius X. eundo Lugdunum transivit de mense Septembris 1273, *Cronica di Bologna ad e. a. apud* ***MURATORI S. R. I. T. XVIII.*** *col.* 285, et quidem primis duabus ejusdem mensis decadibus; nam V. Kalend. Septembris adhuc apud S. Crucem, oppidum diœceseos Florentinæ, die vero 27. Septembris jam ultra Bononiam Regii versabatur. ***RAYNALD.*** *l. c. p.* 215; et *Memoriale potestatum Regiens. apud* ***MURATORI T. XVIII.*** *col.* 1136. Mensibus igitur Augusto et Septembri Bononiæ fuisse, posteriorique mense propria et injuncta sibi negotia exegisse censendus est Henricus de Isernia. Commendatitias itaque Cardinalis Simonis pro eo ad Regem Ottocarum literas mense Septembri anni 1273 scriptas esse oportet. Vergente Octobri jam Pragam reversus fuerat, ubi per programma in nota 1. ad epistolam IV. recitatum progressus Regis Ottocari contra Hungaros eodem anno factos scholaribus denotavit, et paulo post ab Ottocaro ex Hungarica expeditione reduce ad commendatitias, quas præsentavit, Cardinalium literas in Notarium receptus epistolam VII., qua Rudolphi Habsburgici electio interea celebrata tantopere sugillatur, ad Pontificem exaravit.

3) *recipere dignetur in suum Notarium et fidelem.* Hæc verba collata cum tenore aliarum trium epistolarum mox inserendarum, quarum prima ad Brunonem Episcopum Olomucensem, altera ad Cardinalem, tertia ad ignotum quemdam Curiæ Romanæ Prælatum scripta est, palam faciunt, præsentes commendatitias a Cardinale quodam profectas esse, et quidem a tali, cujus nomen literas initiales *Si* præseferebat. Testante ***RAYNALDO*** *l. c. p.* 182 *ad an.* 1271 duo tunc temporis vivebant Cardinales presbyteri, quibus nomen erat Simon, unus titulo S. Martini, alter titulo S. Cæciliæ. Ab alterutro ex his igitur commendatum fuisse Henricum de Isernia statuendum erit. En tres illas epistolas, prout extant in Codice nostro.

Epistola 40. fol. 78.

(Pro) Beneficijs michi impensis Cardinalis Episcopo grates agens rogat, quod Magistrum H. debeat promouere.

Quod H. de ysernia exhibitori presencium, quem sue merito probitatis fauore prosequimur speciali, vestra sibi munificencia multa contulit graciosa, graciarum uobis referimus uberrimas acciones, et teneri pro eo strictius volumus, et prompcius concurrere uotis uestris. Et quoniam idem . . suum exhibere desiderat famulatum Illustri regi in officio Notarie, et indubitanter scimus eundem dicto Domino Regi non modicum expedire, maxime si idem Rex in apicem erectus fuerit Imperatorie dignitatis, secundum quod credimus, et eciam affectamus, vos magna precum instancia duximus tenore presencium exorandum, quatenus ipsum aput dictum Dominum Regem uelitis uestrorum interuentu precaminum efficaciter promouere, facturi nobis rem gratam admodum et acceptam, si nostrum affectum effectui vestra industria non tardauerit mancipare, et suis nobis declarare literis, quidquid inde duxerit faciendum.

Epi-

Epistola 61. fol. 84. verso.

Vt Domino Regi regracietur, qui ad suam peticionem receperat Magistrum H. ytalicum, supplicatur Cardinali.

Quoniam sanctitatis vestre graciosa benignitas sic per vniuersos et singulos se diffundit, ut uotis concurrens petencium supplicibus nesciat precibus refragari, quin ymo, ultra desiderancium terminos se extendens, gracie sue dulcedinem largitur exuberancius de generose liberalitatis munificencia, quam exigant exorantes, Idcirco preces inculcans precibus, Dominacioni uestre supplicare audeo iterato, quatenus cum Dominus Rex Boemie ad vestram peticionem me receperit in notarium et fidelem, vestra propterea pietas referre sibi dignetur graciarum vberes acciones.

Epistola 62. fol. 84. verso.

Vt pro Magistro H. Regraciatorias Regi litteras A Cardinale debeat impetrare, racione, laude, oblacione inducitur atque prece.

Licet multarum virtutum insignia, quibus uestri pectoris thalamus aureis quasi monilibus presignitur, audacie spiritum michi prebeant, ut secure ad uos, tamquam ad placidi portus quietem beniuolam, uela uoluntatis sereno spei zephiro impellente, nauigare faciam preces meas, Illud tamen precipue suasorijs ad hoc impellit stimulis medicullium mentis mee, quod, qui vernantis eloquij redimiculis florum prefulgetis purpureis, qui argenteis stillantes lingue nitoribus rutillatis, qui oratorie suauitate dulcedinis irroratis uestra dictamina, qui arduis figure grauissimis ornatibus, et ornatissimis grauitatibus sideream consueuistis oracionum vestrarum congeriem luminare, sicut per virum probitate multa perspicuum Magistrum Th. de sancto Germano intellexi, dum Bononie presentarie commorabar, non ualebitis illius nauiculam non admittere, sinusque sibi patulos, ut anchoram stabiliat, et quod intendit, obtineat, exhibere, qui iuxta suarum ualenciam uirium oratorum uestigia nititur imitari, cum ista esse consueuerit bonarum proprietas mencium, quas sublimat et prerogat arduus apex morum, ut, qui in disciplinis, quoad poterit, earum vestigia sequitur, ipsum maioris zelo beniuolencie prosequantur. Accedit ad hoc aliud, quod concepte opitulatur audacie, sibique subministratury auxilii suffragium impertitur, quod unius patrie nos genuit vterus, per quod, dum in eiusdem vniuersalitate generis conuenimus, nata hinc inde naturali affectu tenere cuiusdam dileccionis mollicies animos nostros prodeuntibus alternis vtrinque nexibus confibulat, et constringit, et in eiusdem traducit uoluntatis atque propositi vnionem. Instanter igitur supplicans et suppliciter instans, duxi presentibus postulandum, quatinus, cum Dominus Rex Boemie me ad preces Venerabilis patris Domini Si . . Cardinalis assumpserit in Notarium et fidelem, dignetur vestra discreccio magnis michi semper titulanda preconiis, cui me totum voueo, totum dedico et ascribo, taliter procurare, quod idem Cardinalis propter hoc dicto Regi graciarum acciones referat per suas literas speciales, quas vestra componat industria, ut alij socij mei mirentur pariter et stupescant de uestre lepore facundie, meque verum dixisse confirment, Cum uos coram ipsis celebribus laudum titulis usque in domos astriferas efferebam.

VI.

Cardinalis Bonaventura, Epiſcopus Albanenſis, rogat Ottocarum Bohemiæ Regem, ut Magiſtrum Henricum de Iſernia familiæ ſuæ adſcribat. 1273 Septembri.

Rogat Cardinalis Dominum Regem, ut Magiſtrum H. in ſuam familiam recipiat 1).

Dileccionis intime feruor, quo ſerenitatis preeminenciam Regie ſinceris zelamur affectibus, eſt nobis maxime ortamento, ut ad eam noſtra precamina debeamus dirigere, confidenter ſperantes, quod regalis ingenuitas animi, que ſue benignitatis oculo conſueuit vniuerſis et ſingulis arridere, noſtris peticionibus ſpecialis prerogatiua luminis fauorabilius blandietur. Inde eſt, quod celſitudinem veſtram exorantes attencius poſtulamus, quatenus, cum . . de yſernia lator preſencium, quem ſue merito probitatis gracia proſequimur ſpeciali, ardentibus affectet deſiderijs ſuum vobis deuote impendere famulatum, quia ueſtre non modicum erit utilis maieſtati, ipſum et recipere dignemini, et noſtre dileccionis intuitu habeat veſtra magnificencia commendatum, Ita quod excellencie veſtre referre poſſimus acciones multimodas graciarum, cum ſibi aput vos noſtra rogamina intellexerimus fructuoſa.

1) De tempore datæ hujus epiſtolæ eadem valent, quæ adnotavimus ad præcedentem. Ejus vero auctorem, ſive potius ſignatorem fuiſſe Bonaventuram, Epiſcopum Albanenſem, a Gregorio X. anno 1272 renuntiatum Cardinalem inde colligimus, quod binis Henricus de Iſernia eum rogaverit literis, ut ſe Regi Bohemiæ commendet ad conſequendum votorum ſuorum complementum. Priores, in Codice num. 15 notatæ, foliisque 45 verſo et 46 extantes, ita inſcriptæ ſunt: *Viro virilibus virtutum potentijs inſignito, multaque predito probitate Domino . . fratri Boneventure Albanenſi Epiſcopo Reverendo H. de yſernia.* Sed eas prætermittimus, ne ſuperflua congerere videamur, daturi tantum poſteriores una cum illis, quibus Henricus de

Iſer-

Isernia Prælatum quemdam inferiorem rogavit, ut a Cardinale regratiatorias ad Regem ob exauditas ejus preces impetret.

Epistola 51. Codicis fol. 80 verso et 81.

Inducitur ad hoc frater Bonauentura, ut quod prius negauerat, pro Magistro H. Domino Regi scribat.

Uestre supplicare iterum pietati, et pulsare secundario ad clemencie vestre Januam, que iuste petentibus non est solita refragari, quamquam michi suadeat racio cause multiplicis et causa multiplex racionis, illud tamen est michi maxime ortamento, ut devno (denuo) debeam preces precibus inculcare, quia multociens uidi multos illud assequi postmodum potuisse de facili, quod imprimis impossibile ipsorum uidebatur, et quod ea, que vnius hore spacium conferre non potuit, afferre gratitudo alterius consueuit. Veridice uocis oraculo eciam intellexi, quod ille clementissimus cunctipotens conditor mundi Deus, qui letatur, cum bene fecerit, qui gaudet spargere suarum donaria graciarum, iugis orationis frequencia flexus, que petuntur, distribuit, et qui prius uisus fuerat supplicibus obsurdescere, quasi rigore deposito, sue benignitatis oculo uotis concurrens precancium cernitur arridere. Vobis igitur instanter supplicans, et suppliciter instans queso, Domine sancte pater, ut mee non dedignantes condescendere paruitati, deuotum vestrum et ordinis penitus expertem vestre gracie dimittere non uelitis, sed me consuete benignitatis affluencia compluentes, que largiflue per vniuersos et singulos se diffundit, meis, cum honeste sint, peticionibus annuatis. Quis enim hoc asserere posset racionabiliter inhonestum, si pro me Domino Regi Boemie scriberetis, ut intercessionis vestre intuitu me haberet Regia serenitas commendatum? An quia presumptuose arrogancie ualeret ascribi, si tam cito alicui porrigetis precamina in adepti fastigij dignitate? Sed magis reputaremini gratiosus, et a discretis omnibus diceretur, quod totum processit ex gratia, quam nescitis petentibus denegare, cum nulla uobis affinitatis fibula me connectat. An ad detestandum uane glorie uicium posset aliquatenus detorqueri? Sed bonitatem pocius pretenderet pietatis, ut, qui gradu fueratis hactenus in minori, procliuis ad gratiam non poteratis pietate cogente non esse flexilis in maiori. An obstat persone supplicantis deieccio, ut pro ea preces fundere ridiculum uideatur? Sed tum uere claret animi claritas, que sublimat et preficit, arduus apex morum, cum superioris preeminencia humili supplicauerit pro persona. O quam gloriosum fuit habitum in Atrauis (*atavis*) edito Regibus mecenate, qui paupertatis grauatum sarcina promouit virgilium aput Cesaree supereminenciam maiestatis! O quantum ad eiusdem accessit cumulum tytulorum, cum oracium manu tenuit, et promouit serui cuiusdam filium venusini! O quantum fame Cassiodori splendoris accreuit, dum non dedignabatur eciam pro delectis Theodericum Regem suppliciter exorare, ut dignitatis eos fascibus presigniret! Nouimus eciam, si ad moderna tempora filum retrahimus, quod Papa Clemens Robertum de Baro, certe non magne literature hominem, ymo tantum ex usu aliquid cognoscentem, aput Regem promouit Karolum, et quod Panormitanus Archiepiscopus Petrum de vinea olim egregium dictatorem et tocius lingue latine Jubar pro vnica tantum Epistola, quam eidem misit Archiepiscopo, Imperatori affectuosissime comendauerit friderico, licet nunquam prius ipsius P. habuisset noticiam, et iaceret tunc mole inopie consternatus, Quia superlatiui excellencia non minuitur, si ad gradum medioximum iacentem inferius sustollere nititur positiuum, ymo dignior censetur, qua fungitur dignitate, cum id, quod potest, fecerit, et iacentes de puluere suscitabit,

Epi-

Epistola 41. Codicis fol. 78. verso.

Rogatur Prelatus quidam pro recomendacione Magistri H. (rectius: ut a Cardinale regratiatorias ad Regem literas ob admissas ejus preces impetret).

Liberalium nutrix arcium, quam vestre mentis perspicax oculus, & rationis intuitus luminosus subtilis perscrutacionis indagine facie ad faciem speculatur, prout uos melius scitis, quam deceat me referre, viciorum contagia relegans virtutum colit collegium, admodum ueneratur. Cum itaque virtus censeatur esse non modica, ad deuotarum precum instanciam quemlibet se fauorabilem exhibere, eciam si precantes nullorum adiuti fuerint excellencia meritorum, quamuis precedentis exigencia meriti fauorem michi vestrum nequeat comparare cum nunquam uobis in aliquo fuerim obsecutus, quia tamen philosophia, quam sequimini, me animat et inducit, Rogo, ut vestri tantum gracia uelitis a Domino . . Cardinale pro me literas impetrare, in quibus idem Regracietur Domino Regi, quod me ad suas recepit preces in eius familiam specialem.

VII.

Ottocarus conqueritur Gregorio X. Pontifici, Rudolphum Comitem minus idoneum a Principibus Electoribus se reclamante Romanorum Regem esse renunciatum, petitque subobscure, ut retractata electione sibi tanquam potentiori faveat. 1273 Novembri ineunte.

Dominus Rex Boemie Domino pape significat cum querelis, quod *principes* 1) Alemannie, in eius preiudicium non deferentes appellacioni facte per suos procuratores ad sedem apostolicam, elegerunt quendam incompetentem in Regem Romanorum, vnde Rogat eum, quod faueat sibi de Jure, et quod dignetur Imperij misereri 2).

Sanctissimo in Xpo patri &c. O Dei gratia &c. Cum cadentis mundi miseratus angustias, a dextris patris descenderit filius, & Regio procedens

dens tramite docuerit ſequi rectum, Reuera, poſtquam ei placuit ad patrem, unde uenerat, remeare, ſibi petrum et vos per conſequens fieri uoluit ſucceſſores, ut prefulgentes antiſtiticij dignitate ſic orbis regatis et dirigatis orbitam, quod racionis bonitas malum proſcribat ſtultitie, abuſus corrigat equitas, *temperancie* 3) frenis *lima* 4) caſtigetur exceſſuum, et fortitudinis perſeuerancia pugnax deuincatur exercitus viciorum. Quo circa ſi quando reſpublica premitur, uel nobis infertur iniuria, nec admittit ratio, nec fauet poſſibilitas uel voluntas, ut recurramus ad alium niſi ad uos tantummodo, qui *generali* 5) reſidentes in ſolio, prout apoſtolici mandati norma requirit, ex officii ſumpti debito in recti ſtatera iudicij decernentes ſingula, et figurantes iura prouideque toto ſparſim *promulgantes* 6) in orbe, praua tenemini linea rectitudinis exequare, vnde cum *principes* 7) alemannie, quibus poteſtas eſt Ceſares eligendi, qui, — liuoris veneno nolumus plura dicere, nec more Regio *detractio* 8) locum habet, — *concorditer* in quendam Comitem minus ydoneum, ſolemnibus *noſtris nunccijs*, quos *wrauenwrt* 9), vbi celebrari debebat eleccio, noſtros procuratores miſeramus, *contradicentibus et reclamantibus* 10), euidenter uota ſua direxerunt, et eundem in grauamen Imperij noſtrumque preiudicium, poſtquam ſolemniter appellauimus ad ſedem apoſtolicam, ſacri dyadematis inſigniuerunt maieſtate, ad vos velut inexhauſtum ſcaturientis iuſticie fontem et interminabile pietatis aſilum vna cum Imperio recurrimus irracionabiliter pregrauati, ſanctitatem veſtram ſuppliciter exorantes, quatenus Nos non permittatis in iure noſtro, quod prefati principes manifeſtis deprimere conantur iniurijs et infeſtis, aliquatenus conculcari, *piumque* 11) ſancte mentis intuitum flectere dignemini ad Imperij ſtatum flebilem, cui miſericordie viſcera reſerantes, Compaciatur ſibi matris ecleſie beata benignitas, dum illud Imperium, a quo mundus contremuit vniuerſus, quod dignitatibus omnibus Monarchie prelatum faſtigio excellentiſſimis conferebatur tantummodo gerendum feliciter et regendum, nunc illis contingit perſonis, quas fame recondit obſcuritas, que virium deſtituuntur potencia, et penurioſe grauantur ſarcina paupertatis, quorum quidem contrarijs diuos auguſtos oportet neceſſario redimiri. Miſericordia moueamini, pater ſanctiſſime, quin pocius uobis, quod ſic deprimitur, indigniſſimum uideatur, cum, ſi ſedes apoſtolica permiſerit, ſi mundus tollerauerit, ut deiectis et humilibus conferri debeat culminis tantus apex, redigetur in nichilum, et cui arabs

famulabatur, seruiebat Indus, obsequebatur ytalus, Hispanus obtemperabat, obsecundat cum reuerencia totus mundus, cunctis reddetur despicabilis et abiectus. Quem senatus populusque Romanus statuit, quem lex virtusque statuit, Quem deus ipse statuit, contempnent singuli, frenis agi pauperis respuentes; Sicque iusticia suffocabitur, et exulabit concordia, et pax Regnantibus criminibus expirabit, Impunes dissultabunt iniurie, proximus insurget in proximum, tantaque calamitas tantaque miseria, proch dolor, imminebit, quod exosa uiuentibus uita fiet. Aperiatis, quesumus, Imperio clemencie vestre ianuam, intendatis in ipsum humanitatis affectibus mansuete, quod ea semper in subditos fuit vsum clemencia, illaque semper humanitate relanguit, ut parcere dignius reputauerit quam punire. Non permittat amplius vestra pietas angi miserijs, cuius ope consueuerunt ab orbe miserie relegari. Vos enim in *protectorem* 12) suum *suscipit* 13), uos in tantis requirit Angustijs, vestre potestati se subiciens vociferatur et clamitat: Pater clementissime, miserere!

1) Cod. habet: *princeps.*

2) Addita sunt in Codice verba: *Generi Judiciali subicitur*, quæ respiciunt divisionem formularum epistolarium in plura genera illis temporibus usitatam. Tenor epistolæ nullum relinquit dubium, quia de Rudolphi Habspurgici electione, quam impugnasse Ottocarus noscitur, in ea sermo habeatur. Celebrata fuit hæc electio die prima Octobris 1273 Francofurti ad Moenum. Nuncius de eadem, ut ex Chronicis Pulkavæ apud *DOBNER T. III. p.* 235, Paltrami apud *PETZ T. I. col.* 718, Claustro-Neoburgensi *ibid. col.* 466 et apud *RAUCH T. I. p.* 110, itemque Mellicensi apud *PETZ T. II. col.* 242 ad an. 1273 invicem collatis facile concluditur, allatus est Ottocaro in Hungariæ partibus degenti, igitur vix ante medium Octobrem. Eo accepto Ottocarus in Bohemiam remeavit, ibique, quemadmodum ex adnotatione 2. ad V., et 6. ad IX. epistolam patescit, Henricum de Isernia ex Italia reducem, literasque Cardinalium commendatitias sibi præsentantem, in Notarium recepit. Vix igitur ante initium Novembris anni 1273 præsentes dari poterant.

3) Cod. habet: *temperancia.*

4) *Limma,* substantivum neutrum, idem significat, ac defectus.

5) Cod. habet: *generalis.*

6) Cod. habet: *promulgetis.*

7) Cod. habet: *princeps.*

8) Cod. habet: *detracto.*

9) Legendum sine dubio: *Frankenfurt.*

10) *concorditer — nostris nunccijs — contradicentibus et reclamantibus.* Concors Principum electio, et nunciorum Ottocari, qui tamen ipse unus ex electoribus erat, contradictio pugnare secum videntur. Sed disparet dubium, si circumstantias consideres. Ottocarus ipsemet imperium ambiebat et sperabat. Nuncii ergo ejus mandato carebant, suffragium ferendi pro altero; in Dominum vero suum non poterant dirigere votum, cum ante auream Bullam Caroli IV. electio Cæsaris juxta præscripta canonum celebraretur, qui prohibent, ut elector se ipsum vel per procuratorem eligat. Tota igitur electio a suffragiis reliquorum electorum pendebat.

11) Potest etiam legi: *paternumque.* In Codice enim nonnisi literas *pmq* cum duplici signo abbreviationis, post primam nempe et tertiam literam, videre est.

12) Cod. habet: *proteccione.*

13) Cod. habet: *suscepit.*

VIII.

Ottocarus a Gregorio X. Pontifice veniam petit pro Cancellario suo Petro, Præposito Wissegradensi, quod Concilio Lugdunensi interesse non queat. 1274 Martio vel ante.

Petit Dominus Rex Papam, ut si ad sinodum eius Cancellarius non ueniat, eum habeat excusatum 1).

Sincere dileccionis zelus, quo nostri pectoris aula uehementer accensa suspirat ad singula, que fuerint sedi apostolice placitura, quo eciam reuerentes diligimus, et diligentes cupimus reuereri matris Ecclesie sanctitatem, certe spei fiduciam prestat nobis, ut *aliquando, si* 2) uestram in plerisque prosequimur uoluntatem, materne benignitatis dulcedo dissimulet, et ad filialis puritatem fidei sue mentis aciem dirigens debeat equanimiter tolerare. Cum itaque presencia *Magistri P. venerabilis Wyssegradensis Prepositi* 3) sit nostre non modicum expediens maiestati tanquam

illius perſone, que diſcreccionis uigens acumine noſtroque aſſiſtens lateri ad habenas noſtre reipublice moderandas prebet ſatis placitum noſtre ſupereminencie famulatum, et ſue ſolicitudinis comendabili ſtudio, dum cura ſcrutatur peruigili ea, que noſtris accreſcunt tytulis et que noſtre pariunt celſitudinis incrementa, ſe magis reddat nobis cottidie gracioſum, ipſum non permiſimus de Curia noſtra diſcedere iſta uice. Qua de cauſa, ſi ueſtre ſanctitatis *non intereſſe concilio* 4) ualeat, habeat eum veſtra benignitas deuocionis noſtre interuentu, exoramus, ſuppliciter excuſatum.

1) Fragmentum hujus epiſtolæ ex noſtro veriſimiliter Codice deſumptum protulit *HANSIZ Germ. Sacr. T. II. p.* 345 et ex eo *PUBITSCHKA* Chronol. Geſchichte Böhmens *IV.* Th. *II.* B. S. 246. Uterque perperam exiſtimavit, eam datam fuiſſe a Wenceslao, Ottocari patre, ad Innocentium IV. Pontificem.

2) Cod. habet: *ut ſi aliquando.* Sed tranſpoſitionem poſteriorum duorum verbulorum ſenſus omnino efflagitat.

3) *Magiſtri P. venerabilis Wyſſegradenſis Prepoſiti.* Non Philippus, Ulrici ultimi Carinthiæ Ducis frater, ut putant Hanſiz et Pubitſchka locis citatis, per ſiglam P. denotatur, ſed Petrus, qui jam ab anno 1265 Regni Bohemiæ Cancellarius et Præpoſitus Wiſſegradenſis fuerat, teſtantibus id plurimis Ottocari diplomatibus tam editis, quam ineditis. Vid. Dipl. de anno 1265 in diplomatiſche Beyträge zur Unterſuchung der ſchleſiſchen Rechte und Geſchichte *I.* Th. S. 49. Berlin 1770. 4°; de anno 1267 apud *LINCK Annal. Auſtrio-Claravall. p.* 382; de anno 1269 et 1270 in der kurzen, doch eigent. Verfaſſung des zwiſchen der Stadt Ollmütz und dem St. Hradiſch intentirten Proceſſes *num. XXII. et ſeqq.* Brünn 1716 fol.; de annis 1268, 1271, 1277 apud *HAMMERSCHMID Hiſtor. Monaſt. S. Georgii et S. Spiritus p.* 38 et *Majeſtas eccleſiæ Wiſſehrad. pag.* 209, 211, 213, 507. Mirum ſane videri debet, quomodo *HAMMERSCHMID Maj. eccl. Wiſſ. p.* 504 ſcribere potuerit, Petrum a Reichenſtein, quem decimum tertium Præpoſitum agnoſcit, infula Wiſſegradenſi ab Ottone Brandenburgico, pro pupillo Wenceſlao Regni Bohemiæ Gubernatore, ſub annum 1278 condecoratum fuiſſe, cum ipſe in eodem opere tot monumenta producat, quæ manifeſte probant, Petrum multis annis prius Præpoſitum Wiſſegradenſem fuiſſe. Lapſum Hammerſchmidii jam animadvertit *DOBNER Mon. Boh. T. VI. p.* 34 occaſione diplomatis cujusdam Ottocariani, in quo inter teſtes etiam Petrus Præpoſitus Wiſſegradenſis legitur. Sed lapſus eſt et ipſe, hoc diploma ad an. 1270 referens. Vid. nota 3. ad epiſtolam ſequentem.

4) *non intereſſe concilio.* Anno 1272 Gregorius X. Papa concilium indixit, Kalendis Maji anno 1274. inchoandum. Anno 1273 per literas Idibus Aprilis datas Lugdunum pro loco concilii deſignavit, prælatosque „*omni, quam inevitabilis neceſſitas non indicet, excuſatione poſtpoſita in præfixo termino comparere*“ juſſit. Initium

tium

tium habuit Concilium Lugdunense Nonis Maij, finem XVI. Kal. Augusti 1274. *RAYNALD. Annal. eccl. T. XIV. p.* 191. 205. 209 *et* 226. Epistola Ottocari Regis excusatoria pro Cancellario suo Petro data fuit tempore, quo Prælatos Lugdunum jam discedere oportuit, igitur certe ante mensem Aprilim.

IX.

Henricus de Isernia Ottocaro Regi Strahoviensium erga se malignitatem denunciat, illum rogans, ut in hos animadvertat, et Cunoni Decano Wissegradensi de oblato sibi hospitii beneficio grates agat. 1274 Martio vel Aprili.

Conqueritur Regi de Strahouiensibus, Rogat, ut animaduertat, et Decano *regracietur* 1).

Quanta collusione mandatis uestris in me Canonici Strahouienses alluserint, etsi uelim, non possum describere, quia longa impediente materia, dictaminis series fieret longa nimis, et si possim, nolo, ne Regiam maiestatem, que arduis intenta negocijs, ex causa tam infima ad fastidium prouocarem; Sed quoniam dolentis cordis est ista proprietas, ut uel in lacrimarum prorumpat riuulos, uel in uerba proclamans ad eum, qui de iniurijs poterit ipsum vindicare, (*recurrat*), cum Regalis clemencia de hys, que facta sunt michi, quin pocius in me sibi, cum ex mandato vestro in Strahouia fuerim, uindictam sumere ualeat, quid michi Stragouienses *quidam* 2) fecerint, et qualiter erga me se gesserint, uobis innotescere racionabile iudicaui, Precipue quia ex hoc colligere poteritis, quantum vos diligant, et quantum regiam reuereantur excellenciam, qui Regi tamquam precellenti et omni creature debent esse subditi propter Deum.

Sane

Sane *dum abbas olym bone memorie uiuebat* 3), cetera michi ministrabantur ad uotum, locus, in quo manerem, fuit assignatus congruus, et, prout decebat, in alijs eciam honorabar. Post cuius infelicem obitum ille homo probitate multa perspicuus, et qui uobis nititur in hijs, que potest, omnibus deseruire, loci eiusdem venerabilis prior, sic me caritatis brachijs amplexatus, sic prosequutus est beniuolencia et fauore, ut nichil michi de abbatis morte deperierit, sed habundancius sunt singula ministrata. Nouiter uero, quia oportuit eundem priorem exire ad bona conscribenda singula, que claustrum habet per Curias, ne ab hijs subtraherentur, quibus ea custodienda commiserat dictus Abbas, paulatim paulatim subtrahere michi ceperunt necessaria in claustro assidue remanentes. Nam quandoque mihi pullus semicoctus et natans in aqua insipida mittebatur, quandoque michi, quin eciam sepius, Caseus destinabatur vilissimus, factus de aliorum residencia caseorum, quandoque vini duo modica deferebantur bacharia et cum labore nimio acquisita, stubam propter me calefacere multociens noluerunt, a peticionibus meis auertebant facies, et sublimibus me respiciebant oculis, tamquam si essent arduo augustorum sanguine procreati. Que denique omnia et plura alia, que non scripsi, cum inuite audienti exponerem suppriori, et dicerem, quod *tacita* 4) michi dari uidebatur licencia, cum res necessarie non dabantur, nichil michi duxit aliud respondendum, nisi quod non constabat sibi, quod Rex abbatem quondam per suum Notarium rogauisset, ut michi deberent in necessarijs prouidere, et uolebat inde aliquid ordinare, de villis quibusdam faciens mencionem, dicens tot et tanta subtraxit Ecclesiæ nostre Dominus Rex, bene poterat sibi suffecisse, et non per alios consumere bona nostra. Ad que profecto territus, quin pocius stupefactus curaui hospicium querere, sed volente Deo profecto illi viro et laudum eximiarum titulis commendando Venerabili *Decano Wyssegradensi* 5) obuians in platea, honorabiliter sum susceptus, et recitans, que michi contigerant, in domum suam, quamquam repugnauissem plurimum, sum introductus, et ibidem permaneo recipiens plura, quam me deceat ab eodem 6). Quare cum intersit Regie clemencie suorum familiarium contumelias proprias reputare, vestro culmini duxi flexis genibus supplicandum, quatenus hec, que michi facta sunt, animaduersione condigna puniat, et uelit in ore Regio castigare, maxime cum ex hoc euidenter possitis conicere, qualem supprior et quidam alij eius complices erga uos gerant et gesserint voluntatem,

tem, quia, qui seruum vituperat, Dominum non honorat, *Wyssegradensem Decanum habens de hoc, quod me recepit, suis literis regraciatorijs commendatum* 7).

1) Cod. habet: *regraciatur*. Sed finis epistolæ docet legendum esse, ut supra correctum fuit.

2) Cod. habet: *quidem.*

3) *dum abbas olym bone memorie uiuebat.* Ex dicendis in nota 6. apparebit, facta, de quibus in hac epistola sermo est, intra initium Novembris anni 1273 et mensem circiter Aprilim anni 1274 contigisse. Eo igitur temporis intervallo, et quidem vel sub finem anni 1273 vel sub principium anni sequentis, etiam obitus Abbatis Strahoviensis accidit. Quisnam vero ille Abbas fuerit, difficile erat definire, Catalogis Abbatum Strahoviensium seu montis Sion circa hæc tempora admodum mendosis existentibus. Hammerschmidt *Prodrom. gloriæ Prag.* 399 *et* 400 Joannem Abbatem Strahoviensem electum anno 1250 obiisse dicit anno 1265 die 1. Aprilis, eique successisse Abbatem Godefridum, antea Præpositum Doxanensem, mortuum 7. Aprilis anni 1279; hujus successorem fuisse Fridericum, defunctum 16. Calend. Maji 1283. In eandem fere sententiam eunt P. Amandus Fridenfels *Sion mons inclyt. p.* 389—391 et Annales Præmonstratenses *P. I. T. II. p.* 925. Sed legi in Collectione diplomatum Clarissimi Viri Domini de Zlobiczky inter monumenta monasterii Hradecensis in Moravia diploma a Johanne Abbate montis Sion qua judice delegato *datum anno Domini* 1266 *in die beati Adalberti Martyris.* Et Crugerius *sacri pulveres ad* 22. *Aprilis p.* 121 Godefridum hac die anni demum 1268 Abbatem Sionensem designatum fuisse refert. Monuit quoque jam Dobner *Monument Boh. T. VI. p.* 34, hanc Abbatum Strahoviensium seriem multa reformatione indigere, produxitque diploma Regis Ottocari Martino Abbati Brewnoviensi concessum ita desinens: „ *Actum et datum Brune per manus Magistri Heynrici Prothonotarii Regni nostri et Plebani in Bors, anno Domini MCCLXX. septimo Kalendas Maji quinte Indiccionis coram hijs testibus, quorum nomina subscribuntur. Domino Cristano Abbate de Porta Apostolorum, D. Johanne Abbate de sancto Procopio, D. Siffrido Abbate de monte Syna, D. Thobia Preposito Pragensi, D. Petro Preposito Wissegradensi, D. Gotfrido Preposito Tynensi, D. Gregorio Decano Pragensi, D. Cunone Decano Wissegradensi, D. Petro Decano de sancto Egidio, Magistro Laurentio Canonico Wissegradensi, D. Mstidruhone Castellano Pragensi, D. Domaslao Camerario regni Bohemie, D. Depoldo Iudice Regni Bohemie, D. Bavaro Marsalco, D. Sdislao submarsalco, D. Hyncone dapifero, D. Cunrado subdapifero, D. Wolmaro Pincerna, D. Onsone subpincerna, D. Nezamizlone Burggravio in Olomuch, D. Cunone Camerario Olomucensi, D. Zmilone Burgravio Wetovensi et alii alii quam plures*„ ex quo prodit Siffridus Abbas de monte Syna, lege Syon, in Catalogis prætermissus. Hunc non fictitium esse ostendit diploma apud *HAMERSCHMIDT Gloria Wissehrad. eccl. p.* 507 ad an. 1277 relatum ita incipiens: „ *Nos M. Brzevnoviensis et S. montis*

Sion

Sion divina miseratione Abbates, auditores causæ„ et aliud *ibid. p.* 506 a Petro Præposito Wissegradensi, totius Regni Bohemiæ Cancellario, *datum Pragæ Anno Domini* 1282 *Kalend. Junij*, quod ille *Dominorum Christiani Brzevnoviensis, Sifridi Monasterij Montis Sion, et Ottonis Monasterij de Insula venerabilium Abbatum sigillorum munimine roborari* procuravit. Verum hœc novis me implicuere difficultatibus. Quomodo mori potuit anno 1273 exeunte, vel 1274 ineunte Abbas quidam Strahoviensis, si Sifridus ab anno 1270 usque ad annum 1282 infulam Strahoviensem tenuit? In salvo res est. Mendose descriptum est diploma a Dobnero prolatum, quod vel verba *Syna* pro Syon, *Bors* pro *Gors* ostendunt, et ita legendum: „ *Actum et datum Brune per manus Magistri Heynrici Prothonotarii Regni nostri et Plebani in Gors, anno Domini MCCLXX septimo, Kalendis Maij quinte Indiccionis*„. Norunt rei diplomaticæ gnari, descriptores veterum diplomatum multociens in dato hallucinari, ultimum anni Domini numerum ad subsequentes Calendas, Nonas aut Idus trahendo, vel vicissim numerum ad Calendas, Nonas aut Idus pertinentem anno Domini addendo. Id etiam contigisse descriptori diplomatis Dobneriani palpabile est. Anno enim 1270 non quinta, sed decima tertia Indictio currebat. Quinta indictio incidit in annum 1277. Adrianus Rauch **Oesterreich Geschichte.** III. **B.** p. 604 fonte non allegato memorat, ab Ottocaro anno 1277 Brunnæ Calendis Maij monasterio Brewnoviensi diploma fuisse datum, quod idem cum Dobneriano esse videtur. Inter testes occurrunt personæ, quæ anno 1270 nondum erant insignitæ attributa ipsis in diplomate dignitate; decoratæ vero eadem erant anno 1277. Ne nimius esse videar, id de unico ostendam exempli gratia Domaslao, Regni Bohemiæ Camerario. In diplomatibus Ottocari, quæ vidi hercle plurima, ab anno 1260 usque ad anunm 1272 Andreas Regni Bohemiæ Camerarius legitur. Extant **in Kurze, doch eigentliche Verfassung des zwischen der Stadt Ollmüz und dem Stifte Hradisch** *in Petitorio intentirten Processes* **Brün** 1716 fol. **Beylage** num. *XXII, XXIII et XXIV* Ottocari diplomata anno 1270 data, quæ testantur, Andream eodem anno adhuc Bohemiæ Camerarii officio functum fuisse. Anno 1271 referentibus Continuatore Cosmæ Pragensis *T. I. S. R. Boh. p.* 417, Francisco Canonico *ibid. T II. p.* 26, et Pulkava apud *DOBNER T. III. p* 235 Andreas, summus Bohemiæ Camerarius, Ottocaro auctor fuit, ut oblatam sibi imperatoriam dignitatam recusaret. At cum Ottocarum postea facti poenitere coepisset, Andream, pessimi consilii auctorem, Camerarii munere exuit, qui paulo post ex mærore obiit testibus *CRUGERIO Sacri pulver. ad* 17. *Nov. et Pontano Bohem. pia L. III. p.* 43. Cum in diplomatibus anni 1272 adhuc Andream regni Camerarium invenissem, depositionem ejus demum electo Rudolpho Habsburgico factam fuisse existimo. Sane ab eo tempore disparet Andreas, et in subsequentium annorum diplomatibus jam Domeslaus Bohemiæ Camerarius comparet. In specie anno 1277 Domeslaum Camerarii officio præfuisse docent diplomata apud *HAMMERSCHMIDT Glor. Wissehrad. eccl. p.* 211 et 212, nec non *p.* 507—509 collata cum *PONTANO Boh. pia L. V. p.* 80. Diploma igitur Dobnerianum probat tantummodo anno 1277, non anno 1270 Sifridum Abbatem Strahoviensem fuisse. Nihil proinde obstat, quo minus alius quidam anno 1270 infulam Strahoviensem gesserit et in confinio annorum 1273 atque 1274 vita de-

decesserit. Hic quis fuit præter Godefridum, cujus existentiam Catalogi patefaciunt, sed vitam perperam usque ad annum 1279 producunt? Hæc in gratiam Strahoviensium, quorum moumenta vetustiora maximam partem perierunt, quique ea de causa Abbatum suorum successionem non satis exploratam habent.

4. Cod. *tanta*.

5) *Decano Wyssegradensi*, qui ab anno 1265 usque ad an. 1279. erat Chuno seu Cuno. *HAMMERSCHMIDT Gloria Wissegrad. eccl. p. 566.*

6) Fusius adhuc atque lepidius hæc omnia narrat Henricus de Isernia in epistola 68. Codicis Mspti fol. 87 verso et 88 data ad Magistrum Henricum Protonotarium, sibi amicissimum, quem deprecatur, ut contra Subpriorem et suos complices Strahovienses indignacionem regiam irritet. Adjungo ex hac epistola tantum verba, quæ ad determinandum tempus datarum præsentium faciunt. De Decano enim Wissegradensi, qui eum tam liberaliter hospitio exceperat, loquens adjicit: „*mihi ministrari plura faciens, quam desiderem, et febri quartane contraria, in quam recidiuaui, dolore tactus intrinsecus ex eo, quod contra me est taliter processum*„. Quo vero circiter tempore Henricus de Isernia febri quartana laborans decubuerit, eruere licet ex literis subjiciendis, quas ad Brunonem Episcopum Olomucensem, vel Bernhardum Seccoviensem dedisse videtur.

Epistola 76. Codicis fol. 90 verso.

Status continencia et casus influencia declaratur Domino Episcopo, et petitur ab eo subsidium.

Qualiter contra me fortune volubilis varietas, que fidelis est ad perfidiam, constans ad inconstanciam, nuper egit uobis, inclite Domine, pater alme, duxi præsentibus declarandum. Scio enim, quod innata uobis clemencia michi geret Spiritum compassiuum, et ad resistendum seue mortis tirannidi auxiliare suffragium exhibebit. Postquam enim de Romana Curia curarum multiplicium genitrice, uoti mei exitum consecutus, ad Dominum meum Regem Boemie iterum mei gressus tramitem lineaui, hijs, quæ intendebam, propositis coram eo, tantam inueni graciam in Regie oculis maiestatis, ut meis concurrens desiderijs peticionibus annuerit supplicantis, propter quod amenantis leticie serenitate perfusus, in exultantis cepi mentis iubilo lasciuire, et tripudiantis iocunditate solacy quasi festis solemnius feriare. Sed fortuna maliuola, que rebus semper insidiatur prosperis, que letis mesta frequenter associat, et nunquam sic tota peruenit, quin aliud apocopet de se ipsa, quasi liuoris titillata ueneno, pati non ualens ullatenus me letari, mei serena gaudii mesticie nubilo preconfundens infirmitatis me plagauit afflictione quartanaria leonine. Que quidem sue inuasionis hore non inmemor, et in molestia non pigrescens pluries in Strahouia me iam strauit, vbi de mandato morans Regio, expecto sedulus, ut uel ego febrem relinquere debeam, uel me febris, quamquam eorum alterum meum (*meus*) gerat animus pocius optatiuum, et ad id insistens solercius exequi desiderem auxilio medicine, que febres persequitur, morbos curat. Verum quia, ut affectus mancipetur effectui, mihi nulla, nisi vestra interueniat gratia, possibilitas suffragatur, benignitatem uestram deprecans supplico, pie pater, quatinus mee dignantes condescendere paruitati uelitis in aliquo subuenire, per quod, dum infirmitati temptabo resistere, fortune fortius repugnabo.

D Pla-

Planum inde fit, Henricum de Isernia, ex Curia Romana cum commendatitiis Cardinalium literis vergente, ut in nota 2. ad epist. V. docuimus, Octobri anni 1273 in Bohemiam reversum, a Rege Ottocaro Notarium fuisse creatum, atque Abbati Strahoviensi, ut ipsi de victu et habitatione provideret, commendatum; sed mox in febrem quartanam incidisse. Cum hac igitur ægritudine ei hyeme, annos 1273 et 1274 jungente, conflictandum erat; nam antequam hyemale frigus adhuc penitus cessasset, Strahovia jam demigrasse videtur ad Decanum Wissegradensem, cum et literis, quas commentamur, et iis, quas de eadem re ad Henricum Protonotarium scripserat, de stuba paulo ante discessum suum in sui contumeliam multociens non calefacta Regi et amico queratur. Ex hisce animadversionibus inferendum existimamus, præsentes mensi circiter Martio vel Aprili anni 1274 alligari debere. Si tamen de die (de anno non loquor, qui indubie erroneus est) emortuali Abbatis Godefridi, qui secundum Hammerschmidtium *l. c.* dies 7., secundum Crugerium *l. c. p.* 122 vero 8. Aprilis est, Necrologii vel scriptoris fide digni auctoritate certo constat, de quo tamen valde dubito, quisque perpensis omnibus adjunctis facile colliget literas præsentes saltim ad Majum, forte usque ad Novembrem anni 1274, sequentes autem plane ad annum 1275 proferendas fore.

7) *Wyssegradensem Decanum habens — literis regraciatorijs commendatum.* Regem Ottocarum Decano Wissegradensi, prout petiit Henricus de Isernia, grates egisse, patet ex epistola ejusdem Henrici postea ad Henricum Protonotarium data, quam, cum adhuc alia vice mihi ad eam provocandum erit, subnecto.

Epistola 65. Codicis fol. 85.

Regraciatur amico de impetratis literis ad Decanum ex parte Regis, congratulans sibi, quod est in dictamine melioratus.

Postquam manu vestra scriptas perlegi literas, quas venerabili patri Domino Wyssegradensi Decano et Regie Serenitatis majestas, et vestra discrecio destinarat, repletum fuit cor meum ingentis inmensitate leticie, et in mentis mee iubilo lasciuiens pariter et exultans cepi festi tripudij applausibus iocundari. In ipsis enim zelus sincere dileccionis emicuit, que nunquam sic occultari potest, nunquam sic ualet condi amantis pectoris in archiuo, quin se reuelet per tempora, et modo per affatum, modo uero in apertum prodeat operis per effectum, dum ex ipsarum tenore et quadam coniectura percepi, quod vobis procurantibus et Regalis preeminencia culminis a sua prerogatiua celsitudinis aliquantum se dimittens, pro me Domino Decano predicto acciones retulit graciarum, et quod nos meum sic uestris uultum precordijs affixistis, sic mentis tenetis eum tenaciter in conclaui, ut nunquam perpetuo de penetralibus cordis mei possit decidere, nunquam perpetuo dilabatur. Sed quamuis ex istis blanda me perfunderent gaudia circumquaque, non minus, credatis procul dubio, sum gauisus, quod litere vestre stili, nolo dicere, rusticitatem Bohemie nullatenus redolent, sed splendidioris incudis fabricam sapientes, suauiloquam videntur imitari *Sycilliam*, et tube clangorem altisonum Capuane. Gauisus enim sum, quia per experienciam iam cognosco, vos arbusta humilesque miricas, cum libet, posse relinquere, et quod ludentes cum talya nitimini uersu Syracusio personare. Gauisus enim sum, quod iam incipitis arida respuere verbula, et habere vberes distentas lacte Capellas, Ita quod cum Tyrsi certamine potestis contendere lirico me-

libeo

libeo et dampni (*daphni*) candidentibus ylice sub arguta. Gauisus enim sum, quod libellum uidemini dedisse repudij meniane Rethorice, cuius hactenus nos infecerat corruptela, et incipitis contrahere cum eloquencia tulliana. Ad cuius obtinenda subarcarum (*subarrhatarum*) sponsalicia nupciarum accendamini summopere, sibique connubialibus fibula federis annectamini, nullo unquam diuorcio diuidenda, et pro hijs, que procurastis michi, nouiter grates vobis agens tenore presencium, firmiter teneatis, quod Alanus uobis rubricabitur, et quod apud me; dum iuga montis aper, dum fluuios piscis amabit, dumque Thimo pascentur apes, dum rore cicade, Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

X.

Henricus de Isernia rogat Ulricum Protonotarium regium, ut ab Ottocaro Rege commendatitias ad Joannem de Lovanio Abbatem Steinfeldensem et Conventum Strahoviensem literas pro H. Priore Strahoviensi in Abbatem eligendo impetret, adnexa formula earundem literarum. Anno 1274 circiter medio, vel serius.

Rogatur Magister vlricus, ut Priorem Strahouiensem promouere debeat, ut eligatur in Abbatem.

Ex uestre probitatis industria, que pium et flexilem sic nos probat, ut vota petencium patulis auribus hauriatis, audacie sumptis spiritibus non formido vobis preces meas porrigere, eciam si non precesserit exigencia meritorum; Defectum enim meriti uestra supplet benignitas, ut audiui multociens, et in me ipso similiter sum expertus, Ita ut innata uobis gratia Rogancium precibus *condescendens* 1), cunctos prosequamini fauorabiliter et benigne. Instanter igitur supplicans et suppliciter instans queso attencius, ut, *cum Stragoniense Monasterium proprio sit orphanatum pastore* 2), inducere dignemini Regem nostrum, quatenus, cum Dominus

H. venerabilis prior eiusdem Monasterij solus inueniatur dignus inter alios ad ipsius Claustri Regendum Regimen et tenendum, cum sit persona prouida et discreta, morumque ornata tytulis, et ad Domini Regis seruicia nimis apta, maxime si eum ad alios orbis Reges voluerit destinare, pro ipso *scribere debeat patri Abbati* 3) et conuentui Stragouiensi in hac forma, uel si uobis uidebitur, meliori:

forma earumdem literarum 4).

Quia Stragouiensem Ecclesiam, cuius nostri progenitores memorie recolende fundatores fuerunt, tanto fauore prosequimur et amore, ut libenter nostre inuigilet magnificencia maiestatis hijs omnibus, que suo videntur honori cedere, ac eciam expedire, facere non possumus, nec ualemus quasi conniuentibus oculis pertransire, ut, cum in aliquo articulo est posita, quin sibi adhibeamus, in quantum decet, et nostrum se potest culmen extendere, auxilium et consilium salutare. Vnde cum eadem ad presens proprio sit orbata pastore, et anxia mente fluctuet, ac expectet, ut per successionis modum, sicut consueuit, aliquis ad suum Regimen erigatur, et Dominus H. prior eiusdem loci sibi fore magis expediens inter alios suos alumpnos magisque conueniens uideatur, sibi nostri fauore consilij *assistens* 5), uos vniuersaliter singulos et singulariter vniuersos tenore presencium duximus exorandos, quatenus in eundem H. uota uestra concorditer dirigentes ipsum uelitis erigere Stragouiensis Ecclesie in abbatem, facturi nobis rem gratam admodum et acceptam, si concurreretis in huiusmodi uotis nostris, et propiciorem uobis et ecclesie uestre propterea nostram inuenietis clemenciam tempore oportuno.

1) Ita Codex. Sed legendum videtur: *condescendentes,*

2) *cum Stragouiense Monasterium proprio sit orphanatum pastore.* Mortuus enim erat Abbas Godefridus anno 1273 exeunte, vel 1274 ineunte, ut diximus not. 3. ad epistolam præcedentem. Cum testante eadem epistola H. Prior post mortem Abbatis rus abierit ad bona monasterii conscribenda, electio novi Abbatis nondum imminebat, proinde literæ præsentes, quas paulo ante electionem datas fuisse conjicere licet, ad mensem posteriorem, ac præcedentes referendæ sunt.

3) *scribere debeat patri Abbati*, non Strahoviensi, qui tunc temporis deficiebat, sed Steinfeldensi, qui intra annum 1272 et 1279 erat Joannes de Lovanio. Vid. *Annal. Præmonstrat. P. I. T. II. p.* 856. Erat autem Steinfelda antiquum Præmonstratensium Coenobium situm in tractu Eiffliæ Dioeceseos Coloniensis in finibus

Ar-

Arduennæ ſylvæ. Ex eo deducti ſunt anno 1142 Præmonſtratenſes ad Strahow, ſeu montem Sion. *Annal. Præmonſtrat. l. c. p.* 853. *HAMMERSCHMIDT Prodrom. glor. Prag. p.* 396. Erat ergo Strahovia filia Steinfeldæ. Abbas proinde Steinfeldæ ceu matris juxta monaſticam diſciplinam jus habebat et officium dirigendi electionem Abbatis Strahovienſis, eamque confirmandi. Vid. *HAMMERSCHMIDT l. c. p.* 401. Veniſſe ea de cauſa, inſtante poſt mortem Godefridi electione novi Abbatis Strahovienſis, Steinfeldenſem Abbatem Pragam, præſentes indicant, cum in iis petantur commendatitiæ ad Abbatem Steinfeldenſem et Conventum Strahovienſem ſimul directæ. Inde facile colligas, electionem, de qua loquimur, vix celebrari potuiſſe ante annum 1274 medium, conſequenter præſentes ad idem circiter tempus vel ſerius locandas eſſe.

4) *forma earumdem literarum.* Utrum adumbratæ hæce procurante Ulrico Protonotario a Rege Ottocaro expeditæ ſint, nec ne, non habeo, quod dicam. Si tamen miſſæ ſunt, effectu certe caruerunt, non H. Priore, ſed Sifrido poſt Godefridum per electionem ad Abbatis Strahovienſis dignitatem provecto, quod dicta in nota 3. ad epiſtolam præcedentem collata cum tenore aliarum duarum epiſtolarum, quarum una ad H. Priorem Strahovienſem, altera ad Joannem Abbatem Steinfeldenſem ab Henrico de Iſernia poſtmodum data fuit, quaſque heic ſubjicimus, manifeſtum reddunt.

Epiſtola 48. Codicis fol. 78 verſo et 79.

Dileccionis affectus oſtenditur, quod ſi non eſt promotus, ne turbetur, inducit, et quod lecius et honeſtius ſe gerat deinceps.

Salutem et quidquid intra fati aleam geritur, equanimiter tollerare. Quanto mentis ardore cupiuerim, ut ad dignitatis gradum promoueremini pociorem, et Regalis Curie ſciunt notarij, et feruor poteſt agnoſcere mutue caritatis. Quanto dolore, quantaque triſticia turbatus fuerim, Poſtquam percepi alium, et, ut verum fatear, indignum omni penitus dignitate aſſumptum fuiſſe ſtragouienſis Eccleſie in Abbatem, et quas patri abbati tranſmiſi, teſtes ſunt litere, et meorum ſunt conſcia pectora dilectorum, Quia illum gero erga caros dileccionis affectum, ut nunquam contentus fuerim, eos licet in ſtatu proſpero permanere, ſed deſiderem et gaudeam, ipſos continuis augeri ſucceſſibus, et incrementis altioribus exaltari, et conturbor non modicum, ſi, cum racio ipſos magnificari exigit, ſi, cum eorum probitas aſciſcit, ut honore prepoleant, iniquorum peruerſitas, ſeu aliquis caſus impedit, ne ualeant prerogari. Sed quamquam forte poſſent alia excogitari contraria, quibus nos impeditus ad Clauſtri Regimen, prout ardentibus deſiderijs geſtiebam, non eſtis aſſumptus, opinor et credo, quod hec opinio non ſit fallax, quod ſola illa ineluctabilis fati ſeries, que in inferioribus procul dubio maximas uires habet, cui mortalium nemo poteſt reſiſtere, cuius virtute mentes hominum inſenſibiliter permutantur, impedimento fuerit, ne uos erigeremini Strahouienſis Eccleſie in paſtorem. Per fatum etenim factum eſt, ut oculis Canonicorum veſtrorum nubes cecitatis opponeretur, ne utiliorem perſonam, magis ydoneam, magis aptam uocare ac uidere ualerent, factumque denique eſt per fatum, ut mentes electorum inuidie perfuſo (*perfuſæ*) veneno, etſi forte promiſerint uel ſpem darent, uos tamen eligere noluerunt, factum denique eſt per fatum, ut incandentis odij feruor, qui me eciam de clauſtro et occaſione veſtri deiecit, ſuccendens animos eorundem ipſos a tramite recto abduceret, et, ut viderentur aliquid nocuiſſe, nobis prepoſuere ſubiectum. Cuius denique fati conſtellacio, a pape clemen-

tis

H. venerabilis prior eiusdem Monasterij solus inueniatur dignus inter alios ad ipsius Claustri Regendum Regimen et tenendum, cum sit persona prouida et discreta, morumque ornata tytulis, et ad Domini Regis seruicia nimis apta, maxime si eum ad alios orbis Reges voluerit destinare, pro ipso *scribere debeat patri Abbati* 3) et conuentui Stragouiensi in hac forma, uel si uobis uidebitur, meliori:

forma earumdem literarum 4).

Quia Stragouiensem Ecclesiam, cuius nostri progenitores memorie recolende fundatores fuerunt, tanto fauore prosequimur et amore, ut libenter nostre inuigilet magnificencia maiestatis hijs omnibus, que sue videntur honori cedere, ac eciam expedire, facere non possumus, nec ualemus quasi conniuentibus oculis pertransire, ut, cum in aliquo articulo est posita, quin sibi adhibeamus, in quantum decet, et nostrum se potest culmen extendere, auxilium et consilium salutare. Vnde cum eadem ad presens proprio sit orbata pastore, et anxia mente fluctuet, ac expectet, ut per successionis modum, sicut consueuit, aliquis ad suum Regimen erigatur, et Dominus H. prior eiusdem loci sibi fore magis expediens inter alios suos alumpnos magisque conueniens uideatur, sibi nostri fauore consilij *assistens* 5), uos vniuersaliter singulos et singulariter vniuersos tenore presencium duximus exorandos, quatenus in eundem H. uota uestra concorditer dirigentes ipsum uelitis erigere Stragouiensis Ecclesie in abbatem, facturi nobis rem gratam admodum et acceptam, si concurreretis in huiusmodi uotis nostris, et propiciorem uobis et ecclesie uestre propterea nostram inuenietis clemenciam tempore oportuno.

1) Ita Codex. Sed legendum videtur: *condescendentes*,

2) *cum Stragouiense Monasterium proprio sit orphanatum pastore.* Mortuus enim erat Abbas Godefridus anno 1273 exeunte, vel 1274 ineunte, ut diximus not. 3. ad epistolam præcedentem. Cum testante eadem epistola H. Prior post mortem Abbatis rus abierit ad bona monasterii conscribenda, electio novi Abbatis, nondum imminebat, proinde literæ præsentes, quas paulo ante electionem datas fuisse conjicere licet, ad mensem posteriorem, ac præcedentes referendæ sunt.

3) *scribere debeat patri Abbati*, non Strahoviensi, qui tunc temporis deficiebat, sed Steinfeldensi, qui intra annum 1272 et 1279 erat Joannes de Lovanio. Vid. *Annal. Præmonstrat. P. I. T. II. p.* 856. Erat autem Steinfelda antiquum Præmonstratensium Coenobium situm in tractu Eiffliæ Dioeceseos Coloniensis in finibus Ar-

Arduennæ ſylvæ. Ex eo deducti ſunt anno 1142 Præmonſtratenſes ad Strahow, ſeu montem Sion. *Annal. Præmonſtrat. l. c. p.* 853. *HAMMERSCHMIDT Prodrom. glor. Prag. p.* 396. Erat ergo Strahovia filia Steinfeldæ. Abbas proinde Steinfeldæ ceu matris juxta monaſticam diſciplinam jus habebat et officium dirigendi electionem Abbatis Strahovienſis, eamque confirmandi. Vid. *HAMMERSCHMIDT l. c. p.* 401. Veniſſe ea de cauſa, inſtante poſt mortem Godefridi electione novi Abbatis Strahovienſis, Steinfeldenſem Abbatem Pragam, præſentes indicant, cum in iis petantur commendatitiæ ad Abbatem Steinfeldenſem et Conventum Strahovienſem ſimul directæ. Inde facile colligas, electionem, de qua loquimur, vix celebrari potuiſſe ante annum 1274 medium, conſequenter præſentes ad idem circiter tempus vel ſerius locandas eſſe.

4) *forma earumdem literarum.* Utrum adumbratæ hæce procurante Ulrico Protonotario a Rege Ottocaro expeditæ ſint, nec ne, non habeo, quod dicam. Si tamen miſſæ ſunt, effectu certe caruerunt, non H. Priore, ſed Sifrido poſt Godefridum per electionem ad Abbatis Strahovienſis dignitatem provecto, quod dicta in nota 3. ad epiſtolam præcedentem collata cum tenore aliarum duarum epiſtolarum, quarum una ad H. Priorem Strahovienſem, altera ad Joannem Abbatem Steinfeldenſem ab Henrico de Iſernia poſtmodum data fuit, quaſque heic ſubjicimus, manifeſtum reddunt.

Epiſtola 48. Codicis fol. 78 verſo et 79.

Dileccionis affectus oſtenditur, quod ſi non eſt promotus, ne turbetur, inducit, et quod lecius et honeſtius ſe gerat deinceps.

Salutem et quidquid intra fati aleam geritur, equanimiter tollerare. Quanto mentis ardore cupiuerim, ut ad dignitatis gradum promoueremini pociorem, et Regalis Curie ſciunt notarij, et feruor poteſt agnoſcere mutue caritatis. Quanto dolore, quantaque triſticia turbatus fuerim, Poſtquam percepi alium, et, ut verum fatear, indignum omni penitus dignitate aſſumptum fuiſſe ſtragouienſis Eccleſie in Abbatem, et quas patri abbati tranſmiſi, teſtes ſunt litere, et meorum ſunt conſcia pectora dilectorum, Quia illum gero erga caros dileccionis affectum, ut nunquam contentus fuerim, eos licet in ſtatu proſpero permanere, ſed deſiderem et gaudeam, ipſos continuis augeri ſuccesſibus, et incrementis altioribus exaltari, et conturbor non modicum, ſi, cum racio ipſos magnificari exigit, ſi, cum eorum probitas aſciſcit, ut honore prepoleant, iniquorum peruerſitas, ſeu aliquis caſus impedit, ne ualeant prerogari. Sed quamquam forte poſſent alia excogitari contraria, quibus uos impeditus ad Clauſtri Regimen, prout ardentibus deſiderijs geſtiebam, non eſtis aſſumptus, opinor et credo, quod hec opinio non ſit fallax, quod ſola illa ineluctabilis fati ſeries, que in inferioribus procul dubio maximas uires habet, cui mortalium nemo poteſt reſiſtere, cuius virtute mentes hominum inſenſibiliter permutantur, impedimento fuerit, ne uos erigeremini Strahouienſis Eccleſie in paſtorem. Per fatum etenim factum eſt, ut oculis Canonicorum veſtrorum nubes cecitatis opponeretur, ne utiliorem perſonam, magis ydoneam, magis aptam uocare ac uidere ualerent, factumque denique eſt per fatum, ut mentes electorum inuidie perfuſo (*perfuſæ*) veneno, etſi forte promiſerint uel ſpem darent, uos tamen eligere noluerunt, factum denique eſt per fatum, ut incandentis odij feruor, qui me eciam de clauſtro et occaſione veſtri deiecit, ſuccendens animos eorundem ipſos a tramite recto abduceret, et, ut uiderentur aliquid nocuiſſe, uobis prepoſuere ſubiectum. Cuius denique fati conſtellacio, a pape clemen-

tis

tis obitu, super pontificum et aliarum potestatum eleccionibus autumo, quod fuerit dominata. Nam cum ampla Cardinalibus adesset hostilitas (*otiolitas ?*) inter tot sapientes viros, quos mundi continent cardines, vnum eligere, qui apostolice sedi preesset, odij camino succensi, tabescentis inuidie liuoribus titillati, intronizauerunt personam, tam tocius expertem sciencie, quam omni penitus urbanitate carentem. Principes eciam alemannie, quibus est potestas Cesares eligendi, cum in tam spaciosa mundi machina plures essent, de quorum aliquo potuissent orbis nacionibus utiliter prouidere, (sub quo) deuirata reuiresceret Imperij celsitudo, hominem pauperem famaque reconditum sub obscura in Cesaree potestis (*potestatis*) apicem erexerunt, Non aliter, ac si aliquis in domum diuite refertam suppellectile, et preciosi plenam thesauri introductus esset, ut assumeret, que placerent, et ipse repudiaret argentum, reciperet stagnum, algam captaret, iacinctos reiceret, sperneret purpuram, et uestem auferret pomposam, insania in eius capite principante. Quapropter commouenda non est discrete mentis integritas, nec est prudentis tranquillitas aliquatenus concitanda, cum totum desuper fluat, et archanis racionibus fiat, quidquid rebus agitur in humanis, nec quisquam inueniatur tanta fretus potencia, ut uiribus ualeat suis euoluere fati seriem, uel mutare. Verumtamen hoc dixerim, quod sitis in equalitate dispositus, et in gestus moderamine temperatus, ut, si olim fuistis placidus, placidiorem cunctis exhibeatis uos ammodo, si olim ciuilibus rutillabatis moribus, nitamini clarioribus prefulgere, induentes uultum solito leciorem, ut, quod mutari non potuit, saltem fatum pudeat uos indigno alicui subiecisse.

Epistola 66. Codicis fol. 86.

Arguitur abbas, quod indignum confirmauerat in abbatem, et inducitur, quod reuocetur.

Salutem et racione preambula singula exequi facienda. Quia de uobis audiui ea, que virtutis sunt, pluries predicari, Idcirco sincere dileccionis me vobis annectit vinculum, et si nunquam corporeis aspectibus uos ullatenus sum intuitus; habet enim hoc ipsa virtutis nobilitas, ut solo auditu suum diligi faciat possessorem, Ita quod ab hijs habeatur catus (*carus*), quibus reputatur extraneus, et quamquam longa terrarum distancia plerumque seiungitur, eum tamen homines feruentis caritatis brachijs ymaginarie amplexantur. Et cum ista puri sit amantis proprietas, ut aliquid notabile tolerare nequeat in amico, quoniam uos, et ut credo, per simplicitatem videmini nouiter circa quedam negocia tepuisse, non potui sic motus diligentis reprimere. sic dexteram a calamo cohibere, quin vobis illud describerem, in quo feruor paternitatis uestre refriguit, ut id corrigatur, si poterit; sin autem, in simili saltem se vestra discrecio exhibeat cauciorem, ne in paterna sollicitudine segnis notetur desidia, que debet in omnibus esse curiosa. Sane fama docente didici, quod inuitus refero, sed magis inuite me nōueritis audiuisse, quod quemdam per Strigonienses (*Stragovienses*) electum Canonicos uos confirmaueritis in abbatem, Qui siquidem nedum ad ipsius claustri Regimen est sufficiens, cum sit honorabilius, quod in Regno Boemie possidet ordo vester, verum abiectam ecclesiam regere non est dignus. Nam cum Abbas potens esse debeat in opere ac sermone, ut exemplo uite verboque doctrine gregem sibi commissum instruere possit in bono, et a malo eciam reuocare, vigilem curam et diligentem sollicitudinem gerens de omnibus, ut de officio sibi commisso dignam Deo possit reddere racionem, Ipse nec sermone fratres erudiet, cum sciencie (*scientia*) careat, nec eis exemplo uite proficiet, cum sorde viciorum tabescat. Ipse non est homo consilij, ut, quid faciendum sit, et quid non faciendum, excogitata ualeat indagare racione. Ipse plenus est iracundia, qua frequenter succensus ponitur extra sensum, et ut alia pretermittam, spiritu inflatus superbie, ampullosa uerba profert hominibus amaritudine suffusa fellea, et discordie incentiua. O bone ihesu, obtinebit ille in tue matris Eclesia principatum, qui tali contaminatus est vicio, propter quod illum

olim

olim principem luciferum deiecisti de celesti folio desolatum! O bone ihesu, Ille tue templum reget pijssime genitricis, qui se ipsum regere nunquam nouit! Certe qui nescit gubernare propria, spes est, quod procurare non bene debeat aliena. O bone ihesu, debueratne talis per tam discretum virum patrem abbatem uidelicet confirmari? Certe indignus, ut preficiatur dignioribus, non est dignum, nec racio patitur, quin ymo repugnat, quod inter fortes ad portandum regiminis onus vir imbecillis uiribus statuatur. Sed forte ad ista respondebitis, quod electo uobis per Collegium presentato confirmacionis munus non poteratis, nec debebatis licite denegare, cum uideatur esse sufficiens, qui multorum judicio noscitur approbatus. Quod denique concedi posset, si instanciam non haberet. Nam si Stragouiense collegium vobis aliquem fatuum presentasset, nunquid, ut ipsum confirmaretis, racionabile uideretur? ymo habendum esset pocius scrutinium diligens de persona. Et si ipse fuit uobis per incandentis odii feruorem, et malignantes et emulos presentatus, nonne modum eleccionis exquirere, presentancium uota discurrere (*discutere*), electam examinare personam, et causam debeatis, cur eligerent, perscrutari? Profecto quod aurum fore opinabantur plurimi, inuentum est per examinacionis studium auricalcum, et quod multi argentum credebant purissimum, stagnum vilissimum est repertum, et qui sincerus inprimis cernitur, uiciosus postmodum per sagacis inquisitoris scrutinium inuenitur. Quare uobis duxi presentibus consulendum, quatenus, si quod factum est, volueritis commode retractari, meliorem ipsi claustro preficere non tardetis, eidem de persona ydonea et discreta (providentes), quem etatis maturitas, grauitas morum stabiliat, et illustret sciencia literarum, Attendentes, quod est ars arcium regimen animarum, et in Magistrum assumi non debet, qui formam discipuli non assumpsit.

5) Ita Codex. Sed legendum forte: *assistentes*.

XI.

Ottocarus Bendocdari, Sultani Babyloniæ, Aegyptique Regis, amicitiam aucupatur, mittens ei munera, petensque vicissim Reliquias. 1275.

Mittuntur exenia Soldano Babilonie, et petitur digitus beate Katherine remitti.

Excellentissimo *Domino* : . *Magnificentissimo Soldano Babilonie Regi &c.* 1) licet dissone secte diuersitas, et discors dissencientis Religio fidei nos et uos aduersos inuicem statuat et diuersos, considerantes tamen, quod utriusque nostrum condicio non sit dissimilis, dum ambo preclaris exornentur honoribus, et obtineamus in populis principatum, et quod formam nos reducit in comparem ydemptitas speciei, dum humanitatis signa-

ſignaculo figuramur, cum clenodijs noſtris *ad uos cauſa cujusdam beniuolencie contrahende noſtros tranſmittere nuncios* 2) incongruum fore non credimus, nec in eo noſtre offendi ſtatum fidei autumamus. Scimus enim, quod qui Xpum diligit, neceſſe eſt uehementer odiat Machometum, cum normam religioni edidit contrariam Xpiane. Scimus, quod qui Eccleſiam reueretur catholicam, agarenorum oratoria dedignetur oportet, in quibus legis aduerſe dogmata predicantur. Scimus, quod, qui apoſtolorum doctrinam ſtudet, ac ſatagit imitari, ut neceſſario Nycolaitas horreat, et euitet, quorum eſt intencio ſtatutis apoſtolicis obuiare. Sed tamen non ſumus neſcij, quod noſtra fides admittit, quin eciam ſuadet, ut, etſi errores hominum non debeant eligi, nichilominus tamen ſunt homines diligendi, et quod ſic in quolibet odienda ſunt uicia, quod creatoris intelligamur diligere creaturam. Conſueuerunt preterea tam infimi, quam ſublimes ſe mutuis honorare muneribus, etſi impar contrariaque fides alterne credulitatis oppoſicionibus ipſos interdicat honores, et utique non indigne. Non enim, ut derogetur ſecte, vel fides uioletur in aliquo, cum aduerſa diuerſaque ſencientibus familiaritas et amicicia placidi frequenter donarii interuentu contrahitur a nonnullis, Sed ut mundi regiones melius et uberius preſeruentur, dum mutuis compenſacionibus alteri nititur altera res proprias mutuare, illarumque rerum fecundentur affluencia, ad quarum parturicionem ipſarum ſterilis redditur uterus ex natura. Eapropter per . . . cutes caſtorinas, quas in ipſis partibus raras eſſe percepimus, et alia clenodia in ſignum familiaritatis et amicicie uobis tranſmittimus, attencius exorantes, quatenus vnum de digitis beate Katherine, uel aliud aliquod membrum de oleo ipſius, nec non et de ligno crucis dominice dignemini noſtre magnificencie per prefatum nuncium deſtinare. In quo ueſtra excellencia ſpecialem nobis oſtendet affectum, cum noſtre ſerenitati nichil ualet iocundius, nil carius exhibere.

1) *Domino . . Magnificentiſſimo Soldano Babilonie Regi etc.* Sultanus Babylonie, atque Aegypti Rex ab anno 1263 uſque ad annum 1277 fuit *Bendocdar*, vel *Bendecdar*, antea Emir Mammelucus, a ſuis, apud quos tyrannidem arripuerat, dictus *Mélec-el Vacher*, infenſiſſimus Chriſtianorum in Oriente hoſtis. Vid. *RAYNALD ad an.* 1263, 1274, *et* 1277 *T XIV. Annal. eccl. p.* 81, 224 *et* 261. *DOMINIQUE JAUNA Hiſtoire generale de Royaumes de Chypre, de Jeruſalem, d'Armenie et d'Egypte T. I. Liv. XII. chap. IV. — Liv. XIII. chap. III. p.* 652—689 *a Leyde* 1747. 4°.

2)

2) *ad vos causa cujusdam benivolencie contrahende nostros transmittere nuncios.* Præterquam quod credibile non fit, nuncios Reliquiarum tantum impetrandarum ergo ab Ottocaro in remotissimas Orientis regiones ad Principem infidelem fuisse destinatos, hæcce et alia epistolæ præsentis verba satis innuunt, Ottocarum amicitiam Sultani Babyloniæ per legatos missos captare voluisse. Quæ ejus rei causa? Suspicor, Regis Bohemiæ intentionem fuisse, expeditioni cruciatæ, quam Rudolphus Cæsar Gregorio X. Pontifici anno 1274 primo per epistolam apud *GERBERT Cod. epist. Rud. L. I. num.* 18. *p.* 24, dein per Legatos in Concilio Lugdunensi voverat, contracta cum Sultano Babyloniæ amicitia quoquo modo obicem ponendi, eamque, si suscipiatur, effectu frustrandi. Sane studuisse Ottocarum Rudolphi sacram expeditionem omnimode impedire, constat ex epistola Archiepiscopi Salisburgensis, ejusque suffraganeorum ad Joannem XXI. Pontificem anno 1276 data apud *GERBERT l. c. L. II. num.* 58. *p.* 135. Relatis omnibus, quæ Ottocarus huic expeditioni objecerat, impedimentis subjiciunt Episcopi: „*ex hac tamen formidine facit nos prorsus exanimes Rex prædictus, quod cum Tyrannis, et Regibus Tartarorum foedo societatis foedere se conjunxit*". Varie torquent hæc verba *GERBERT l. c. not.* 4, et *PUBITSCHKA* chronolog. Geschichte Böhmens *IV.* Th. *II.* B. *p.* 408. Præsentes dubium tollere videntur. Bendocdar Tyrannus sensu proprio fuit, et cum eodem tempore, prout ex Raynaldo locis cit. liquet, Tartari orientales Christianorum plagas infestarent, facile Episcopi, ad quos notitia legationis ab Ottocaro in Orientem missæ transspiraverat, in opinionem induci poterant, Tartarorum quoque Reges ad foederis societatem fuisse sollicitatos. Nostra si quidquam valet conjectura, præsentes anno 1275 affigendæ erunt.

XII.

Ottocarus Ladislao Cumano, Hungariæ Regi, gratias agit ob transmissos, qui varia ad consolidationem pacis initæ pertinentia proponant, præparentque, nuncios. 1275 post Majum.

Grates agit Rex de transmissione nunciorum pro conseruacione pacis.

Regraciamur uobis, quod ad nos nuncios vestros . . et . . iuxta nostre *peticionem* 1) celsitudinis transmisistis, et eos, postquam fuerunt in

noſtra preſencia conſtituti, expediuimus, et uobis per ipſos noſtram reſerauimus uoluntatem. Poſtmodum ad nos miſiſtis Epiſcopum Jaurienſem, quem benigne ſuſcepimus, et audiuimus, que pro parte ueſtra nobis duxit proponenda; propoſuit enim nobis, *quod nos uelletis uos recipere in patrem ueſtrum* 2), et noſtris concurrere beneplacitis, per quem eciam duximus uobis reſpondendum. Nos autem quamplurimum affectantes, vt *vnio pacis inter nos et uos inite* 3) ſolide perſeueret, ſicut per priores nunccios, quos ad nos miſeratis, vobis reſerandum duximus, ſic *per eundem . . Epiſcopum* 4) ſuper eodem negocio noſtram denotauimus uoluntatem, quod una cum illis prioribus ueſtris nunccijs ueſtra intelligere poterit celſitudo.

1) Cod. habet; *peticionis.*

2) *quod nos velletis uos recipere in patrem ueſtrum.* Ejusmodi propoſitio non convenit Regi Stephano V. viro, bene vero Ladislao Cumano puero. Ad hunc ergo datam eſſe epiſtolam exiſtimo. Accedit, quod ſub Stephano V. non Jaurienſem, ſed Veſprimienſem Epiſcopum negotia publica tractaſſe legamus. Tempus datæ hujus epiſtolæ propius, quantum licet, indicabit nota ſubſequens.

3) *vnio pacis inter nos et uos inite.* Epiſtola ſequens, notaque 2. ei ſuffixa manifeſtum reddunt, inter Ottocarum Bohemiæ et Ladislaum Hungariæ Regem anno 1275 poſt menſem Majum pacem fuiſſe initam, in eaque ordinatum, ut ambo Reges cum ſuis familiis perſonaliter convenientes invicem colloquium habeant, pacemque concluſam novis muniminibus firmiſſime conſolident. Apparatu, nonniſi per mutuum conſenſum definiendo, opus erat ad tam ſplendidum conventum: præparari debebant negotia in eo tractanda. His de cauſis nuncios Hungaricos paulo poſt pacem ab Ottocaro expetitos et a Ladislao miſſos credo. Occaſione horum tractatuum præviorum ex parte Hungarica, ceu medium pacis firmandæ et id propoſitum fuiſſe videmus, ut Ottocarus Ladislaum juvenem in ſolenni illo conventu filium adoptet. Sed adhæſit, ut epiſtola ſequens docet, ob controverſias noviter exortas negotium, conventus Regum haud celebratus, resque dein teſtibus literis pluribus Codicis Rudolphini Lib. III. editionis Gerbertianæ eo deducta, ut Ladislaus Rudolpho Romanorum Regi ſe uniret, eumque in patrem reciperet.

4) *per eundem . . Epiſcopum*, id eſt Dyoniſium Jaurinenſem. Vid. *KATONA hiſt. crit. T. VII. p.* 1011.

XIII.

XIII.

Ottocarus Catharinæ, Serviæ Reginæ, rationes perscribit, ex quibus ad condictum pace colloquium cum Ladislao Hungariæ Rege celebrandum convenire nolit. Anno 1275 exeunte, vel 1276 ineunte.

Racionabiliter declarat Rex, quare cum Rege vngarie non uult ad diem placiti conuenire.

Cum zelum, quo precordialiter amplexamur concordiam, eiusque contrarium detestamur, nequeamus in conclaui recondere, cum nimis exuberet, nec uelimus, ne partis aduerse versipellis astucia detractorie lingue obloquijs venenosis de nobis aliud diceret, quam ueritas se haberet, *ad uestre serenitatis* 1) noticiam stilo ueridico duximus deferendum, quod *pacem et modum concordie, inter Dominum L. Illustrem Regem vngarie et nos per personas spectabiles et presignes tam Ecclesiasticas quam eciam seculares uidelicet . . et . . nouissime ordinatam* 2), ardenti desiderio volumus obseruare. Placitum eciam, quod habere debeamus inuicem ad ipsius preordinate pacis stabilitatem firmius solidandam, et ut eo fulciretur munimine, quod eam pati de cetero, sicut pluries actum fuit, violacionis non contingeret corruptelam, ad effectum ducere nostra serenitas plurimum affectauit iuxta formam per ipsius ordinatores concordie adinuentam. Sed quia iam totum ordinacionis ipsius est propositum immutatum, cum prefato Rege ad habendum colloquium nolumus conuenire. Nam cum ad ipsum placitum celebrandum inermes et omni penitus abdicata materia, que alicuius esset discriminis seu bellorum strepitus illatura stipendium, ex illorum, qui hoc inter nos statuerant, ordinacione debuissemus inuicem conuenire, Prefatus Rex inductus perfidis sugillacionibus *Comitis Joachim* 3), qui nec eidem Regi nec Regno vngarie fidelis existit, cuius detestanda perfidia faciente felicis memorie *olim Rex Ste-*

 pha-

phanus pater uester, 4) dum filium suum ab eodem Joachimo subreptum per inuestigacionis cite laboriosam festinanciam cuperet rehabère, ac eciam propter dolorem et inconsuete fatigacionis onus fàlce crudelis fati exstitit interemptus. Sed nec in hoc solum dictus Joachimus criminosus esse dinoscitur, verum eciam aliorum plurium reus facinorum perhibetur. Quia ne sua nequicia post ipsius regis Stephani mortem ab infidelitatis torperet operibus, sed malignaretur in filijs, qui nequam fuit in parente, *Dominum A.* 5) Juniorem Regem vngarie abduxit, et zyzanie lolium seminans inter fratres, sua procuracione partes in dissonas scissum fuit Regnum vngarie, et deuentum est ad rigidi martis certamina, ita ut inter germanitatis ivnctos federe, naturalique fibula copulatos hostiliter pugnaretur. Idem eciam in presenti predictum L. Dominum Illustrem Regem vngarie suo Regimini sic *addixit* 6), ut prefatus Rex nil nisi iuxta ipsius Joachimi arbitrium audeat operari. Vnde, ut prelibauimus, armata manu hostilium representatiua congressuum ad nobiscum colloquium habendum, contra conuenciones ac pacis statuta inter nos et ipsum inita, contra sacramenta, que ad ipsius pacis stabilem firmitatem per predictos tales in nostra presencia sunt prestita, *et postmodum per ipsum Regem et ceteros Regni vngarie incolas in Buda fuerant exhibita* 7), uult uenire. Quod quidem instabilitatis huius uicium prefato Domino L. non ascribimus, nec sibi aliquatenus imputamus, cum tamquam minor annis sue voluntatis et arbitrij non sit compos, sed illorum iniquorum, sub *quorum* 8) est manibus, uoluntatibus se oporteat coaptare. Abducitur enim facile per deuium inscicia, quin ymmo in peiora procliuior, diligentis respuit monitus persepe: consilium sequitur inimici. Nec solum profecto in prelibatis pacciones conuente pacis sunt nequiter uiolate, verum eciam in alijs sunt corrupte. Nam cum inter illa, que in ipsis paccionum stipulacionibus principaliter habebantur, hoc esset enucleatius denotatum, ut dictus Rex nullum nostrum in terra sua deberet tenere uel recipere infidelem, nec nos suum similiter uice uersa; ipse tamen post contracte concordie *federa . ., cui sue infidelitatis exigentibus meritis, est status in terris nostre dicioni subditis racionabiliter interdictus* 9), in regno recepit vngarie, ac eum ibidem patitur permanere. Tales eciam, qui dudum obnixe seruitutis fide, qua nostro ascribebantur culmini, nequiter (*in*)perfidiam permutata excludi de nostris provincijs meruerunt, adhuc in vngaria, (*quo*) tamquam profugi se contulerunt, sustinet, et quos deiecisse debuerat, ut

ea,

ea, que promiserat, opere percompleret, inite concordie fedus defederans, Adhuc in Regno suo retinet atque fouet, quamquam (*nos eosdem*) 10) ad innumeras multarum precum instancias, ad nostre noluerimus recipere graciam maiestatis, ne forte venire aliquomodo contra nostram concordiam diceremur. Quamobrem solerti meditacione pensantes, dictum placitum, quod amicabiliter fore debuerat, odiosum et inimicabile, ac aliter, quam opinabamur futurum, factum est, non uidetur nobis conueniens, *ut uos uel alie uestre sorores ad celebritatem huius placiti uestri congressus tramitem dirigere debeatis* 11), Quia nos eciam Consortem nostram uel nostros filios ad tale placitum aliquatenus non ducemus. Nimirum cum filius noster in annis adhuc teneris constitutus non reddatur habilis ad pugnandum, nolumus eum cum matre atque sororibus ad illud colloquium destinare, vbi armorum strepitus esse debeat, uel dubia bellorum dispendia suscitari. Ad celebrandum preterea cum eodem Rege tale colloquium nolumus proficisci ex eo, quod ipse sub gubernacione consistit prefati Comitis Joachimi, qui eundem Regem ad singula, que nobis nocitura fuerint, suggestionis suadela letifere incitat et irritat, et quidquid mali texere contra nostre potest excellencie maiestatem, procurat, ordinat, machinatur. Nam cum sciret, quod *Comes Rudolphus*, qui electus esse in Regem dicitur Romanorum, quamquam eadem eleccio deuenire (*vix*) ualeat dante Deo ad felicis exitus complementum, *nostre inimicus esset magnificencie capitalis* 12), Dominum A. Juniorem Regem vngarie, quem proditorie subripuerat, volebat ipsius R. Comitis filie matrimonialis uinculi federe copulare, *petens vnam nostram provinciam ab eodem Comite R. sibi dari* 13), quam nos legittime ac rationabiliter possidemus. Vnde si idem Rex vngarie in uestre gubernacionis manibus, uel alicuius alterius sue amice, aut comunis persone, que sibi ac Regno vngarie fidelis crederetur, constitutus esset, secum non renueremus habere colloquium, sed quamdiu idem Rex est sub illius Regimine, qui aduersus nos actus nefarios perfidie satagit dirigere, et laborat, nolumus cum eo colloquium celebrare. Verumtamen cum preeminencie *nostre* 14) magnifico potentatu, et mole nostrarum virium ad illas nos partes, vbi prefatum celebrari debuit colloquium, in manu forti et excelso brachio ueniemus, non ut secum interscalaris habeamus sermonis alloquia, sed ut, si quid in nostrarum provinciarum aliqua molestie aut grauaminis inferetur, ualeamus uiriliter defensare, et aduersus aduersa insurgere tali-

ter,

ter, ut conatus elidantur hostiles, et inimicorum machinacio incompleta consistat. At tamen si eidem Regi placuerit, eiusdem placiti terminum prorogare, ita ut eidem placito *Rex Karolus socer eius, uel ipsius Karoli filius* 15), siue saltem eius consiliarij ualeant interesse, plurimum placet nobis. Si autem nollet illum terminum prorogari, sed placet sibi, ut consiliarij nostri ac sui conueniant, qui super negocijs utrinque discuciendis prouide consultacionis discrecione deliberent, et disponant, et ipse in Regno suo, ac nos in nostro remaneamus, hoc gratum est nobis eciam et acceptum. Sed si cum armata manu, uelut prediximus, uelit ad nobiscum habendum colloquium deuenire, hoc aliquatenus nolumus acceptare. Hec autem omnia, ut sunt superius enarrata, propterea uestre serenitati descripsimus, ut sciatis, quod nos affectum promptum gerimus ad pacem, quam cum Rege modo ultimo iniuimus inuiolabiliter obseruandam, et quod per nos non stat, quin eadem concordia stabiliter obseruetur.

1) *ad vestre serenitatis*. Hic titulus, qui infra repetitur, dat locum conjecturæ, ad personam, regia dignitate insignitam, directam fuisse hanc epistolam. Personas enim, vitæ monasticæ addictas, licet regia stirpe oriundas, tali titulo condecorare tum moris non erat.

2) *pacem — inter Dominum L. Illustrem Regem vngarie et nos — novissime ordinatam.* Altum de hac pace, Ladislaum inter, ut litera initialis docet, Hungariæ et Ottocarum Bohemiæ Regem inita, apud scriptores etiam coævos silentium, nec tabulæ unquam productæ; hinc suppressa per scriptorem nomina personarum, quarum opera ea coaluit, restituere impossibile. Unicum Chronicon Salisburgense apud ***PETZ T. I. col.*** 373 ad ann. 1275 breviter insinuat: „*Pax inter Vngarios et Boemos pro tempore reformatur*". Trahi huc quoque potest, quod Chronicon ***FRANCISCI T. II. S. R. Boh. p.*** 6, licet et in anno, et in nomine Regis Hungariæ mendum cubet, ad an. 1274 ita refert: „*Eodem anno Ottocarus Rex Boemiæ cum Stephano Rege Vngariæ conciliatur*". Cum Chronicon Salisburgense, quod coævum et in sua chronotaxi satis accuratum est, post multa alia ad annum 1275 enarrata demum sub finem notitiam supra laudatam de pace inter Hungaros et Boemos pro tempore reformata subjiciat, non absque fundamento concluditur, pacem hanc ad priores ejusdem anni menses haud esse referendam. Suppetit et aliud argumentum, quo evincitur, eam saltim ante Junii initium non coaluisse. Rudolphus Cæsar literis ad Henricum Bavariæ Ducem datis apud ***GERBERT Cod. epist. L. II num. XIII p.*** 79 ei præcipit, ne ad concordandum Ladislaum cum Ottocaro ullatenus se intromittat, „*cum Rex Bohemorum manifestus sit hostis imperii, et in proscriptione Regia perseveret*". Datæ igitur fuere hæ Rudolphinæ pace inter Ladislaum et Ottocarum nondum restituta, sed hoc jam pro-

proscripto, indiciaque præbente, sibi ratum esse, proscriptionem flocci facere. Ottocarum hostem imperii judicatum, proscriptumve fuisse in Comitiis Augustanis anni 1275 res est apud omnes in confesso. Hæc vero comitia non circa solstitium æstivum, ut plerique tradunt, sed Idibus Maji fuisse celebrata post *LAMBACHERUM* Oesterreich. Interregnum S. 139 solide ostendit *ADRIANUS RAUCH* Oesterr. Gesch. *III.* B. S. 510. Adde dimidium mensem, qui requirebatur, ut Rudolpho innotescat, Ottocarum contumaciter in proscriptione perseverare, et sponte sequitur, quod asserui. Habes ergo *terminum, a quo* pax illa inter Ladislaum et Ottocarum inita censeri potest.

3) *Comitis Joachim.* Comes Joachim dictus Pectari sub finem regiminis Stephani V. et initium Ladislai Cumani Banus Sclavoniæ fuit, mox Magister Tavernicorum simulque Comes de Pilis factus, quo officio usque ad annum 1275 fungebatur. Vide diplomata apud *KATONA Hist. crit. T. VI. p.* 593 — 666. Hoc anno in diplomatibus Ladislai Regis Joachimus testis non comparet. Nomen Magistri Tavernicorum vel supprimitur vel Magister Tavernicorum nequidem inter testes ponitur, vel Aegidius et Mattheus hac dignitate condecorati leguntur. Sed anno 1276 Joachimus iterum in scenam prodit qua Magister Tavernicorum adjecto titulo Comitis de Baacha. *KATONA l. c. p.* 670, 674, 676, 680, 682 *et* 707.

4) *olim Rex Stephanus pater vester.* Repetuntur hoc loco per errorem scribæ verba superiora: *cujus detestanda perfidia.* Cæterum cum de filiis Stephani V. Ladislao et Andrea in tertia persona loquatur præsens epistola, evidens jam est, eam datam fuisse ad filiam ejusdem Regis Stephani. Hujus vero filiæ erant Maria, Carolo Siciliæ Regi, Anna Andronico, Michaelis Palæologi Imperatoris Constantinopolitani filio, Catharina Stephano Dragutin, sive Urosio II. Serviæ Regi 1261 nupta, Elisabetha, monialis ordinis S. Dominici in insula leporum, circa annum 1286 a Stephano Milutin seu Urosio III. Serviæ Rege, prioris fratre, in thorum assumpta, sed circa annum 1296 repudiata, et Gitketha seu Juditha, monialis in monasterio S. Agnetis, postea dispensante Pontifice Zavisio Rosensi in matrimonium collocata. *KATONÆ hist. crit. T. VI. p.* 615 *et* 563 — 571 collata cum Joh. Christ. v. Engel's Geschichte von Servien und Bosnien in der Fortsetzung der allg. Welthistorie 49. Th. *III.* B. S. 140. 228 et 238. Posterioribus duabus epistolam inscriptam non fuisse, patet ex iis, quæ diximus in nota 1.

5) *Dominum A.* id est *Andream.* Cfr. *KATONA T. VI. p.* 615 *et PRAY Hist. Reg. Hung. P. I. p.* 287.

6) Cod. habet: *adduxit.*

7) *et postmodum per ipsum Regem et ceteros Regni vngarie incolas in Buda fuerunt exhibita.* Haud obscure hisce verbis innuitur, conclusa pace supra dicta diætam Budæ fuisse habitam, in qua pax per status Hungariæ fuit confirmata. Haberemus ergo etiam *terminum ad quem,* si de tempore celebratæ hujus diætæ constaret. Sed nullum ejus in diligentissimi scrutatoris *KOVACHICHII Vestigiis Comitiorum,* vestigiorumque *supplementis* vestigium, nisi quod *Vestig. p.* 149 ex literis Elisabethæ junioris,

ris, Ladislai Cumani uxoris, anno 1276 datis suspicetur, comitia quædam circa eum annum locum habuisse. Ni fallor, ea in annum 1275 reponenda sunt. Conjecturæ fundamentum vide sis in nota 13.

8) Cod. habet: *quibus.*

9) *federa . ., cui — est status in terris nostre dicioni subditis — interdictus.* Verisimiliter sub nomine suppresso latet Borso de Ossek, quem *HAGECK* Böhmische Chronik übersezt durch Jo. Sandel Nürnberg 1697 *pag.* 451 ad ann. 1275 ab Ottocaro, cui svaserat, ut se coram Rudolpho Romanorum Rege humiliet, tanquam perfidum in vincula conjectum et paulo post regno pulsum memorat. Meminit quoque hujus proscriptionis *Continuator Cosmæ Pragensis T. I. S. R. Boh. p.* 418, errans tamen ut sæpius ante et post hunc annum in Chronotaxi. Ita ille: „*Anno Domini Mill. CCLXXIIII. Nobilis vir Borso recessit a Rege amissa gratia Regis sine culpa, æmulis ejus sinistra Regi referentibus*". Supponere licet, virum a perfidia alienissimum, ne suspicionem de se conceptam, quod Rudolpho faveat, confirmare videatur, non in Germaniam, sed in Hungariam secessisse.

10) Ita supplenda esse puto verba ad plenariam intelligentiam deficientia. Videtur enim in tabulis pacis cum Rege Ladislao inite id, quod olim in pace anno 1271 conclusa apud *KATONA T. VI. p.* 551 *et* 552 de transfugis Hungaris cautum fuit, jam data occasione ad profugos ex Bohemia applicatum esse, nimirum ut Rex Ladislaus homines, qui ob perfidiam regno Bohemiæ exclusi in Hungariam profugerunt, ibique castra dono nacti sunt, de his castris nullum nocumentum Ottocari subditis inferri patiatur, sed illos, si quid tale tentaverint, possessione castrorum dejiciat, regnoque pellat; Ottocarus vero eosdem homines cum castris, quæ eis Ladislaus concesserat, nunquam in gratiam suam recipiat, ne hoc modo in alieno territorio asseclas consequatur. Cæterum non repugno, si quis verba, quorum interpolationem sensus alias minus perspicui ratio exigere videtur, ita suppleri debere censuerit: *nos transfugas ex Hungaria* vel *talem ex Hungaria ad nos profugum*, licet locutio tum haud satis propria evadat. Verbulum quoque *dejecisse* sententiæ priori favet. Quænam sententia verior sit, ipsæ pacis tabulæ, si quando eas in lucem protrahi contigerit, revelabunt.

11) *ut uos uel alie uestre sorores ad celebritatem hujus placiti — tramitem dirigere debeatis.* Palam hæc faciunt, præsentes non datas fuisse ad Mariam Caroli Siciliæ Regis, nec ad Annam Andronici conjugem, utpote quæ longe remotæ alioquin ad tale colloquium non erant conventuræ, neque tanquam absentes juvenis Regis Hungariæ gubernationem, quam inferius exoptare videtur Ottocarus, suscipere facile poterant.

12) *Comes Rudolphus — nostre inimicus esset magnificencie capitalis.* Egregie confirmatur hisce verbis sententia nota 2. stabilita, literas præsentes convolutas fuisse post comitia Augustana medio mense Maji 1275 celebrata, in quibus Ottocarus a Rudolpho proscriptus fuit, immo post repetitas jam ex decreto comitiali per Fridericum

Burg-

Burggravium Norimbergensem a Rudolpho missum provincias Austriacas; tum enim Ottocarus Rudolphum *inimicum capitalem* jure dicere poterat. Repetitionem vero provinciarum Austriacarum spectatis omnibus rerum adjunctis mense Junio factam fuisse existimo. Nec moror Pulkavam, auctorem alioquin non synchronum, qui in suo Chronico apud **DOBNER T. III. p.** 236 scribit, id demum anno 1276 „*de mense Septembri*" contigisse. Facile enim, si antiquiora Bohemiæ Chronica, ex quibus sua hausit Pulkava, cum ejus narratione conferantur, detegitur, qua ratione in eam opinionem prolapsus fuerit.

13) *petens vnam nostram provinciam ab eodem Comite R. sibi dari.* Ex hisce et præcedentibus verbis non satis clarum mihi est, an pro se, an pro Andrea, juniori Hungariæ Rege, Comes Joachimus provinciam, quam Ottocarus possidebat, a Rudolpho Cæsare petierit. Sed habemus apud **GERBERT** *Cod. epist.* **L. II.** *num.* **XXIII.** p. 89 responsum Rudolphi ad commendatitias Ladislai Regis literas in eo negotio pro petitore interpositas, ex cujus contextu clarius deducitur, Camerarium Regis Ladislai, cujus nomen scriba suppressit, quosdam districtus ab Ottocaro occupatos pro se quæsiisse, ideoque Rudolphum, Romanorum Regem, in persona accessisse. Belle hæc cohærent cum iis, quæ nota 3. diximus, Joachimum Comitem anno 1275 munere Magistri Tavernicorum functum non fuisse, nec inter testes diplomatum regiorum comparere. Absens enim fuit apud Rudolphum Camerarii titulo usus. Inde jam propius determinare licebit tempus, quo præsentes Ottocari obsignatæ sint. Profecto Comiti Joachimo in mentem venire non poterat, provinciam ab Ottocaro possessam a Cæsare petere, antequam audivisset, Regem Bohemiæ in Comitiis Augustanis proscriptum fuisse. Tum res in consilio Regis Hungariæ pertractanda, ab eo licentia abeundi et commendatiæ literæ impetrandæ, et Cæsar per longa itinerum intervalla adeundus erat. Tandem Ottocarus de iis, quæ Joachimus apud Rudolphum egerit, certior fieri debebat. Ad hæc sane aliquot menses requiruntur. Ipse Gerbertus responsum Rudolphi supra laudatum, quod absque dubio Ottocari literis anterius est, ad mensem Octobrem vel Novembrem refert. Igitur nostra epistola nonnisi vergente anno 1275 vel ineunte 1276 data censeri potest. Ultra Martium hujus anni certe non est protendenda; nam circa id tempus, quemadmodum ex nota 2. ad epist. XV. intelligere est, Ottocarum non amplius latere poterat, serio bellum contra se a Rudolpho parari. Dissimulasset igitur prudentia dictante vexas Comitis Joachimi, nec earum obtentu conventum, ad consolidandam cum Rege Ladislao pacem amicitiamque solemni pactione decretum, amolitus fuisset, ne ingruente bello antiquum quoque hostem denuo sibi suscitaret. Quæ omnia si ita se habent, haud levis oritur suspicio, pacem, de qua loquitur epistola, ingratiis Joachimi eo absente per ministros Ladislai Ottocaro minus inimicos fuisse compositam, ideoque ab eo, qui Regem in potestate sua habebat, post reditum iterum convulsam. Discordes anno 1275 fuisse Hungaros insinuat Chronicon Claustro-Neoburgense apud **RAUCH** *S. R. Austr.* **T. I. p.** 110 ajens: „*Item in ungaria multa spolia et occisiones nobilium vicissim sunt commissa*".

ris, Ladislai Cumani uxoris, anno 1276 datis suspicetur, comitia quædam circa eum annum locum habuisse. Ni fallor, ea in annum 1275 reponenda sunt. Conjecturæ fundamentum vide sis in nota 13.

8) Cod. habet: *quibus*.

9) *federa . ., cui — est status in terris nostre dicioni subditis — interdictus.* Verisimiliter sub nomine suppresso latet Borso de Ossek, quem *HAGECK* Böhmische Chronik übersetzt durch Jo. Sandel Nürnberg 1697 *pag.* 451 ad ann. 1275 ab Ottocaro, cui svaserat, ut se coram Rudolpho Romanorum Rege humiliet, tanquam perfidum in vincula conjectum et paulo post regno pulsum memorat. Meminit quoque hujus proscriptionis *Continuator Cosmæ Pragensis T. I. S. R. Boh. p.* 418, errans tamen ut sæpius ante et post hunc annum in Chronotaxi. Ita ille: „*Anno Domini Mill. CCLXXIIII. Nobilis vir Borso recessit a Rege amissa gratia Regis sine culpa, æmulis ejus sinistra Regi referentibus*". Supponere licet, virum a perfidià alienissimum, ne suspicionem de se conceptam, quod Rudolpho faveat, confirmare videatur, non in Germaniam, sed in Hungariam secessisse.

10) Ita supplenda esse puto verba ad plenariam intelligentiam deficientia. Videtur enim in tabulis pacis cum Rege Ladislao inite id, quod olim in pace anno 1271 conclusa apud *KATONA T. VI. p.* 551 *et* 552 de transfugis Hungaris cautum fuit, jam data occasione ad profugos ex Bohemià applicatum esse, nimirum ut Rex Ladislaus homines, qui ob perfidiam regno Bohemiæ exclusi in Hungariam profugerunt, ibique castra dono nacti sunt, de his castris nullum nocumentum Ottocari subditis inferri patiatur, sed illos, si quid tale tentaverint, possessione castrorum dejiciat, regnoque pellat; Ottocarus vero eosdem homines cum castris, quæ eis Ladislaus concesserat, nunquam in gratiam suam recipiat, ne hoc modo in alieno territorio asseclas consequatur. Cæterum non repugno, si quis verba, quorum interpolationem sensus alias minus perspicui ratio exigere videtur, ita suppleri debere censuerit: *nos transfugas ex Hungaria* vel *talem ex Hungaria ad nos profugum*, licet locutio tum haud satis propria evadat. Verbulum quoque *dejecisse* sententiæ priori favet. Quænam sententia verior sit, ipsæ pacis tabulæ, si quando eas in lucem protrahi contigerit, revelabunt.

11) *ut uos uel alie uestre sorores ad celebritatem hujus placiti — tramitem dirigere debeatis.* Palam hæc faciunt, præsentes non datas fuisse ad Mariam Caroli Siciliæ Regis, nec ad Annam Andronici conjugem, utpote quæ longe remotæ alioquin ad tale colloquium non erant conventuræ, neque tanquam absentes juvenis Regis Hungariæ gubernationem, quam inferius exoptare videtur Ottocarus, suscipere facile poterant.

12) *Comes Rudolphus — nostre inimicus esset magnificencie capitalis.* Egregie confirmatur hisce verbis sententia nota 2. stabilita, literas præsentes convolutas fuisse post comitia Augustana medio mense Maji 1275 celebrata, in quibus Ottocarus a Rudolpho proscriptus fuit, immo post repetitas jam ex decreto comitiali per Fridericum

Burg-

Burggravium Norimbergensem a Rudolpho missum provincias Austriacas; tum enim Ottocarus Rudolphum *inimicum capitalem* jure dicere poterat. Repetitionem vero provinciarum Austriacarum spectatis omnibus rerum adjunctis mense Junio factam fuisse existimo. Nec moror Pulkavam, auctorem alioquin non synchronum, qui in suo Chronico apud *DOBNER T. III. p.* 236 scribit, id demum anno 1276 *„de mense Septembri"* contigisse. Facile enim, si antiquiora Bohemiæ Chronica, ex quibus sua hausit Pulkava, cum ejus narratione conferantur, detegitur, qua ratione in eam opinionem prolapsus fuerit.

13) *petens vnam nostram provinciam ab eodem Comite R. sibi dari.* Ex hisce et præcedentibus verbis non satis clarum mihi est, an pro se, an pro Andrea, juniori Hungariæ Rege, Comes Joachimus provinciam, quam Ottocarus possidebat, a Rudolpho Cæsare petierit. Sed habemus apud *GERBERT Cod. epist. L. II. num. XXIII. p.* 89 responsum Rudolphi ad commendatitias Ladislai Regis literas in eo negotio pro petitore interpositas, ex cujus contextu clarius deducitur, Camerarium Regis Ladislai, cujus nomen scriba suppressit, quosdam districtus ab Ottocaro occupatos pro se quæsiisse, ideoque Rudolphum, Romanorum Regem, in persona accessisse. Belle hæc cohærent cum iis, quæ nota 3. diximus, Joachimum Comitem anno 1275 munere Magistri Tavernicorum functum non fuisse, nec inter testes diplomatum regiorum comparere. Absens enim fuit apud Rudolphum Camerarii titulo usus. Inde jam propius determinare licebit tempus, quo præsentes Ottocari obsignatæ sint. Profecto Comiti Joachimo in mentem venire non poterat, provinciam ab Ottocaro possessam a Cæsare petere, antequam audivisset, Regem Bohemiæ in Comitiis Augustanis proscriptum fuisse. Tum res in consilio Regis Hungariæ pertractanda, ab eo licentia abeundi et commendatiæ literæ impetrandæ, et Cæsar per longa itinerum intervalla adeundus erat. Tandem Ottocarus de iis, quæ Joachimus apud Rudolphum egerit, certior fieri debebat. Ad hæc sane aliquot menses requiruntur. Ipse Gerbertus responsum Rudolphi supra laudatum, quod absque dubio Ottocari literis anterius est, ad mensem Octobrem vel Novembrem refert. Igitur nostra epistola nonnisi vergente anno 1275 vel ineunte 1276 data censeri potest. Ultra Martium hujus anni certe non est protendenda; nam circa id tempus, quemadmodum ex nota 2. ad epist. XV. intelligere est, Ottocarum non amplius latere poterat, serio bellum contra se a Rudolpho parari. Dissimulasset igitur prudentia dictante vexas Comitis Joachimi, nec earum obtentu conventum, ad consolidandam cum Rege Ladislao pacem amicitiamque solemni pactione decretum, amolitus fuisset, ne ingruente bello antiquum quoque hostem denuo sibi suscitaret. Quæ omnia si ita se habent, haud levis oritur suspicio, pacem, de qua loquitur epistola, ingratiis Joachimi eo absente per ministros Ladislai Ottocaro minus inimicos fuisse compositam, ideoque ab eo, qui Regem in potestate sua habebat, post reditum iterum convulsam. Discordes anno 1275 fuisse Hungaros insinuat Chronicon Claustro-Neoburgense apud *RAUCH S. R. Austr. T. I. p.* 110 ajens: *„Item in ungaria multa spolia et occisiones nobilium vicissim sunt commissa"*.

14) Cod. habet: *nostro.*

15) *Rex Karolus socer eius, vel ipsius Karoli filius.* Evidenter hæc confirmant opinionem supra enuntiatam, epistolam non missam fuisse Mariæ, Caroli Siciliæ Regis uxori; alias enim scriptum esset: *Rex Karolus, maritus vester, vel filius vester.* Nulla ergo, ad quam præsentes directæ dici possent, ex quinque Stephani V. filiabus restat præter Catharinam, quam, ignoratam hactenus diligentissimis etiam harum rerum investigatoribus Schierio, Cornidesio, Katonæ, Prayo etc., primus notam fecit Archimandrita *Raitsch* in Historia Servio — Bosnensi paucis abhinc annis sermone Illyrico IV. Voluminibus vulgata, et post eum solertissimus ab Engel in Opere supra laudato. Hæc tenori epistolæ nulla ex parte repugnat, sed eidem apprime convenit. Erat enim Serviae Regina, hinc Serenitatis titulo honoranda. Commigravit teste *ab Engel l. c. p.* 234 eodem anno 1275 unacum marito Rege Urosio II. in Sirmiensem provinciam, quæ eis, Urosio III. Serviæ solium occupante, reliqua mansit. Inde vel fratrem Ladislaum, sororesque moniales invisura, vel cum marito suo, Hungariæ Vasallo, comitiis pacis confirmandæ causa eo tempore celebrandis interfutura, Budam venisse existimanda. Itaque et conventum pacis consolidandæ causa cum Ottocaro habendum accedere, et gubernando fratri Ladislao Regi se ingerere poterat.

XIV.

Ottocarus rogat Monachos cujusdam conventus, ut ei suis orationibus Dei favorem concilient. 1276 Septembri, vel ineunte Octobri.

Recomendat se Rex fratrum oracionibus 1).

Honestas uite et habitus uestri religio nobis spei prebent fiduciam plenioris, ut, quecunque ab illo postulaueritis, a quo defluit omne bonum, effectum debitum sorciantur, cum in eo spes precesque frustra non sint posite, et *eorum* 2) precipue qui presigniuntur tytulis honestatis. Ea propter cupientes summis affectibus, ut per oracionum uestrarum subsidia nobis suppremi luminaris claritas blandiatur, uos attencius duximus exorandos, qua-

quatinus pro nobis oraciones dignemini fundere aput Deum, ut ipse nos in uiam salutis dirigat, manuteneat, et gubernet. Pro quo nos *uobis ac ceteris ordinis uestri fratribus* 3) in hys; que utilia fore sciuerimus, grata uolumus promptitudine respondere.

1) Tempore expeditionis bellicæ ad impetrandum divinum auxilium datæ præsentes videntur. Formula certe non absimilis est ei, qua in pari occasione alia vice usus est Ottocarus. Ut vero ad bellum primum cum Rudolpho Romanorum Rege illas referam, duo sunt, quæ me permovent. Primum, quod in Codice iis, quibus exarandis hoc bellum ansam præbuit, statim ab initio intermixtæ reperiantur. Alterum, quod non ad omnia regni monasteria, sed ad singularem fratrum Conventum directæ sint; Ottocarus vero ex tot contra Hungaros relatis victoriis inflatus, potentiaque sua confisus, cum ad primum cum Rudolpho bellum procederet, parum de implorando divino auxilio cogitasse videatur. Cum enim cogeret ad Teplam exercitus suos Rudolpho in occursum, ipse, referente Continuatore Cosmæ Pragensis *T. I. S. R. Boh. p.* 420 „*morabatur in venationibus, deditus ludis et aliis Curialium delectationibus*„ vel, ut Pulkava apud *DOBNER T. III. p.* 236 ait„ *dans operam voluptati*„. Perculsus autem, (ita quidem ego rem gestam fuisse opinor), insperato nuncio, Rudolphum alio divertisse, et recta in Austriam tendere, timensque, ne mutatis circumstantiis male cedat negotium, ad Deum recurrendum esse putavit religiosus cæteroquin Princeps, cumque vicinum aliquod, forte Teplense, cerneret Coenobium, aut Monasterium Schlögel in sepentrionali Austriæ supra Anasum parte situm, rogavit incolas, ut supremo numini pro felici successu supplicent. Levia hæc esse conjecturæ argumenta, ipsemet ingenue fateor, sed unde petas graviora, nisi forte ex monumentis monasteriorum ineditis? Si conjectatio hæcce non omni destituitur fundamento, mense Septembri vel ineunte Octobri 1276 datam fuisse oportet epistolam; illo enim mense Ottocarus ad Teplam nuncium de mutato Rudolphi itinere accepit; hoc vero ineunte jam Freystadii in Austria supra Anasum versabatur.

2) Cod. habebat: *horum*. Sed litera *h* erasa est.

3) *uobis ac ceteris ordinis uestri fratribus*. Hæc verba juncta inscriptioni seu rubricæ manifestum reddunt, epistolam ad unius tantum conventus monastici sodales attinuisse. Cistercienses, quos Ottocarus specialiter amabat, beneficiisque cumulabat, non fuisse inde colligo, quod hos longe majoribus efferre præconiis solitus fuerit. Vid. *Sartor. Cistercium bis tertium p.* 1001. 1010 *et alibi*.

XV.

Ottocarus Marchionibus Mifnenfibus Henrici Bavariæ Ducis feceffionem ad partes Rudolphi Rom. Regis nunciat, illamque vehementiffime perftringit, fimul eos monens, ut fibi a Duce caveant. 1276 Septembri vergente.

Inuectiua gravis contra Ducem Bauarie, qui promiffo, quod Domino O. Regi fecerat, uiolato amicitie et compaternitatis inmemor et pecunia non modica ab ipfo Domino Rege accepta ad partem aduerfario um Domini Regis fe conuertit in graue preiudicium fui nominis et honoris 1).

Enormes exceffus nobilis viri ducis Bauarie, Compatris noftri, quos wlgaris, proch dolor, iam nocio predicat, et nullis tergiuerfacionis excufandos fuffragijs *euidentis operis euidencia manifeftat* 2), ad audiencie ueftre noticiam, que multarum virtutum ornamentis circumfulta corrutillat, morum laudabilium fulget circumornata fplendoribus, et nobilium fplendet actuum circumdata munimentis, volatilis fame preloquiis, que uarijs confueuit interdum uariari relatibus, non ambigimus perueniffe. Nichilominus tamen eos, quos nullo umquam tempore conceptos, uel ante puerperium in conceptionis vtero fuiffe premortuos gauderemus, Magnitudini veftre, cui fincere dileccionis nexibus aftringimur, liquido ftilo prouidimus declarandos, ut inter nos et eundem ducem, amicicie dudum contracto federe per nos, quibus ipfius contractus veritas tota patet, magnificencie ueftre referato, quantum fit eiufdem ducis in hijs mentalis execranda concepcio, quantumque in execrabiliorem partum properata prorupit, uobis et per uos alijs clarius elucefcat. Hic namque dux Bawa-

warus barbariea, prout eius monſtrarunt facta nepharia, uariatus imagine, auaricie veneno uaſtatus, ac hereticorum prauitate compoſitus, qui aliud loquitur, aliud ſentit, foris amicum ſe ſimulans, hoſtiliter intus ledens, nobiſcum iam pluries fedus amoris iniuit, fide preſtita tactis eciam ſacroſanctis evangelijs in altari promittens, nobis ſemper adeſſe fideliter toto poſſe, conſilio et auxilio, quociens cunque utile uel neceſſe fuiſſet, contra perſonas quaſlibet tam eccleſiaſticas quam eciam ſeculares. Nos vero ſibi fauorabilius, quam promiſimus, ope conſilio et fauore ſemper aſtitimus tam in pecunia quam rebus alijs, non improperando, que fecicimus, ſed recordando 3) ſuauiter, prout decuit Regiam maieſtatem, et ut firmioris inter nos et eum puritatis ac beniuolencie feruor temporum continuacione ſuccreſceret, compaternitatis vinculo, quod inter *extraneos* 4) ad placide vnionis, proximitatis, et confidencie medium, et inter proximos ad maioris colliganciam caritatis ueneranda ſanctorum patrum ſancciuit auctoritas, eum nobis uoluimus et procurauimus couniri. At ipſe (*1*) nobilium nobilitate degenerans, a ducum fidelium tramite deuians, ab amici federis promiſſione reſiliens, et a compatrum laudabili compagine reſipiſcens, ignobilium accionum contagione fedatus, infidelium ducum errore seductus, amice paccionis oblitus, et compatrum fidelium debitum non exſoluens, conuerſus nuper in arcum peruerſum, cum crederemus ipſum tam per ſidem nobis promiſſam, et iuramenta nobis preſtita per eundem, quam eciam per multa Marcarum milia preter alia Regalia dona quam plurima, quibus eum frequenter honorauit noſtra liberalitas, ſibi data, contra quoſlibet aduerſarios noſtros ſtrenue ac viriliter dimicare, Comiti R. aduerſario noſtro, qui pro Roman. rege ſe gerit, et a quo retribucionis et gratie noſtre, quam poterat multiplicibus operum experimentis agnoſcere, liberalitate diligenter attenta, longe minoris emolumenti comodum reportabat, *imminente neceſſitatis articulo*, 5) quo non abeſſe ſed adeſſe veraciter debet amica fidelitas, a nobis recedens turpiter, impudenter adheſit. O nobilis partus ignobilis! O ducis ducatus erroneus! O amici non amica dileccio! O compatris non compar affeccio ſed peruerſa! Quis te docuit tam nefanda concipere, Quis eciam parturire? Quis deuiare te compulit? Quis amicabiles pacciones infringere, Quis denique compaternitatem uiolare? Quis generoſitatis titulus, Quod ſtema proſapie viris aſcriberetur illuſtribus, ſi generoſus origine per ſordidos actus ſic impudice degenerat, Si ſtematis illuſtris decoratus

ho-

honoribus ad inhonestos et turpes sic elabitur prompta facilitate processus? Que de cetero dabitur *amico* 6) de amico fiducia? Que inter compatres alios coniunccionis paterne copula contrahetur, Si sic deformiter tante cautele consilijs compaternitas connexa dissoluitur, Si sic enormiter firmitatis tante solempnis contracta beniuolencie vincula violantur? Dic nobis, quesumus, dic, miles ignobilis, dux deuians, amice perfide, compater infidelis, Sunt hec nobilis indicia militis, fidelis ducis insignia? Sunt hec veri amici obsequia, sinceri compatris argumenta? Nonne nobis per tuam miliciam, nonne per tuam prosapiam, nonne per tuam fidem et iuramenta promiseras, te nobis constantis fidei puritatem inuiolabilem seruaturum? vbi nunc est tua milicia, vbi tua prosapia, vbi tua fides? vbi prestita iuramenta? Cur tuam miliciam in maliciam, tuam prosapiam in nequiciam, tuam fidem in perfidiam, Juramenta in irritamenta nequiter conuertisti? Quomodo tantum crimen excogitare, Quomodo tantum scelus admittere, Quomodo perpetrare tantum facinus potuisti? Quid ultra tibi facere potuimus, et non fecimus? Nonne tuas semper peticiones libenter audiuimus? Nonne uota tua gratanter admisimus? Nonne liberaliter tibi munera multa donauimus? Nonne constanter tibi promissa seruauimus? Nonne in uiolando letanter nos tibi conniuimus sacramento? Quod excepcionis aminiculum, Quod excusacionis audiutorium, Quod allegacionis patrocinium contra tantam maliciam, contra tantam nequiciam, contra tantam perfidiam habere poteris, compater infidelis? Nullum nisi vnicum in hijs tibi suffragari poterit munimentum, illud tantum modo, quod a nepharijs progenitorum tuorum actibus, qui more brutorum sibi pocius elegerunt supra terram, quam infra putrescere, degenerare non cupiens, cum patribus tuis iacere desideras insepultus, ut caro *tua* 7), nobilibus orta natalibus, nec accionibus intenta nobilibus, sed prodicionibus notabilibus asueta, in tuum tuique generis non preconium sed obprobrium, esca volatilibus celi et terre bestijs relinquatur. Ha Deus! quam habere potuerunt alij de tanto non duce, sed seductore, non amico, sed inimico, non compatre, sed pocius proditore fiduciam, si tante fidei comissarius fidem suam contra tam fidelem, tam stabilem amicum et compatrem sic maliciose non erubuit uariare? Cauendum est igitur omnibus a milite tam malicioso, tam sordido, a duce tam sedicioso, tam deuio, ab amico tam fallaci, tam perfido, et a compatre tam callido, tam doloso, qui maliciose sic militat, sediciose sic deuiat, amat

fal-

fallacias instruitque dolos. Illis verum tamen contra talem caucior est adhibenda cautela, *qui locali sibi vicinitate coniuncti* contagiosa possent fallaciter eius infamia maculari, Cum perniciosa morbi censeantur inicia, sana malesanis adiungere, soleantque uicina contagio crebro sibi finitima viciare. propter quod vobis, *amici Karissimi* 8) quorum negocia reputamus ut propria, bona fide consulimus, et sano consilio suademus, ut in aliorum periculis vestris discatis precauere iacturis. Nam tua res agitur, paries dum proximus ardet, Attenteque considerantes, ut expedit, quod, fallere qui didicit, fallere semper amat, a blandis ac fallacibus nefandissimi ducis eiusdem verbis et actibus diligentissime caueatis, ne, si susurris et blandimentis eius aures vestras prone credulitatis confidencia faciles tribuetis, vestre bonitatis constanciam fraudulentis, ut assolet, decepcionis laqueis circumuoluat.

1) Henricum Bavariæ Ducem, qui fratrem habuit Ludovicum Severum, Comitem Palatinum Rheni, hasce invectivas concernere, citra omne dubium est. Teste enim Chronico Steronis apud *FREHER S. R. G. T. I. pag.* 561, sive potius Henrici Præpositi Oetingani apud *OEFELE S. R. Boic. T. I. p.* 687 ad an 1273 „ *Eodem anno Rex Ottokerus et Henricus Dux Bavariæ — contra omnem hominem hujus mundi juraverunt mutuo se juvare* „. Ab eo tempore Dux Henricus non solum cum Ludovico fratre continuo altercabatur, sed in Rudolphum quoque Romanorum Regem hostilem gerebat animum, una cum Ottocaro feuda ab eo recognoscere detrectans. *Chronicon Salisburg. ad an.* 1274 *et* 1275 *apud PETZ S. R. A. T. I. col.* 373 *et* 374; *Leobiense ad eosd. an. ibid. col.* 842, *Annales colmar. ad an.* 1275 *apud URSTIS. P. II. p.* 11, *Mart. GERBERT Cod. epist. Rudolph. L. I. num. XXXI. p.* 39, *L. II. num. XIII. et XIV. p.* 77. *seqq.* Sed anno 1276 primum fratri Lodovico, tum Regi Rudolpho reconciliatus bello adversus Ottocarum interfuit. *Chronic. Australe apud FREHER T. I. p.* 470 *et apud RAUCH T. II. S. R. Austr. p.* 266 *ad an.* 1276, *item Leobiense apud PETZ T. I. col.* 847 *ad eund. an.* Igitur ad an. 1276 epistola præsens procul dubio pertinet.

2) *euidentis operis euidencia manifestat.* Cod. mendose legit: *opis.* Hæcce verba planum faciunt, epistolam scriptam fuisse tempore, quo ex Henrici operibus constare jam poterat, eum Ottocari partes reliquisse. Ejusmodi opera censenda sunt susceptio feudorum a Rudolpho, nuptiæque inter Rudolphi filiam, atque Henrici filium Ottonem conditæ vel contractæ. Quo vero præcise mense, quave die anni 1276 hæc facta contigerunt, nemo scriptorum expresse memoriæ tradidit; ex adjunctorum tamen contemplatione saltim mensis erui potest. Chronicon Austr. apud *FREHER et RAUCH l. c.* ad an. 1276 narrat: „*Itaque præfatus Rex Rudolphus contra eum* (Ottocarum) *collecto ingenti exercitu multorum nobilium diversarum provinciarum Ratis-*

po-

ponam usque pervenit, Ducemque Heinricum Bavariæ, qui tam prædicto Regi Boemiæ per suas pecunias astabat, potenti manu devicit, filiam quoque suam Ottoni, filio præfati Ducis, matrimonio legitime copulavit, et ab ipso Rege Rudolpho sæpedictus Dux terram suam recepit titulo feudali. Igitur Rudolphus Rex Bavariam potenter pertransiens, Pataviam pervenit„. Narratio isthæc susceptionem feudorum, sponsaliaque seu nuptias ante dictas haud obscure in tempus reijcit, quo Rudolphus cum exercitu suo jam in Bavaria versabatur. Verba quidem Annalium Colmar. apud **URSTIS. P. II. p. 42.** innuere videntur, conciliationem Rudolphi atque Henrici, matrimoniique sponsionem inter liberos eorum ante Rudolphi in Bavariam adventum factas fuisse. Ita enim habent: *Cum autem Rex Romanorum ad Ducem Bavariæ filiastrum suum pervenisset, ab eo suscipitur, et ei suisque necessaria abundanter et voluntarie ministrantur*„. Sed anticipasse hoc loco videtur Annalista Colmariensis filiastri titulum, licet tractatus quosdam inter Rudolphum et Henricum ante adventum exercitus Cæsarei in Bavariam habitos quidem, at vacillante Duce nondum absolutos concedi possit. Idem enim Annalista paulopost ita prosequitur: „*Rudolphus Rex Romanorum cum duobus millibus equorum phaleratorum Bavariam veniens, tali conditione se confœderavit duci Bavariæ, ut filius ducis filiam regis duceret in uxorem, et filia ducis filio regis matrimonio iungeretur. Quo facto tradita fuit regi terra magna* (id est, ab eo titulo feudali suscepta), *et adiuncti sunt ei milites mille cum equis phaleratis*„. Concordant ergo quoad punctum principale Annales Colmar. cum Chronico Austr. supra allegato, confirmantque sententiam, investitum de feudis Henricum, filiumque ejus filiæ Rudolphi matrimonio copulatum demum fuisse, postquam miles imperii in Bavaria stetisset. Restat igitur ad intentionem nostram solum disquirere, quo circiter mense Rudolphus cum turmis suis Bavariam intraverit, eamque peragraverit. Altius rem repetam, hac occasione plures correcturus errores ab Historicis passim adoptatos.

Teste ***ADLZREITTERO** Annal. Boicæ gent.* **T. I. Lib. XXV. p. 685.** *edit. Monach.* 1662 eo anno, quo Rudolphus Cæsar Ottocarum bello petiit, (falso ad ann. 1277. id refertur)„ *Popardiæ habita comitia ipsis Ramalibus, ad quæ Rudolfus accessit cum lectissimo comitatu. Isthic ante omnia jussit disceptari jura clientelarum, quæ Imperii feuda vulgo audiunt: tum agi de bello. Quæ in commune de fiduciaria Cæsareorum beneficiorum conditione visa frequente Senatu, retulit Bernardus Agritianus Jureconsultus, nobilitate, eruditione et prudentia singulari. Audita relatione, Senatusconsulto decretum est; si quis beneficiarius Imperii, agens intra Provinciæ suæ limites, cessante impedimento, intra annum feudi dominum non adiret, eumque de more non recognosceret: tali velut indigno feudum esse auferendum. Ea lex maxime spectabat Ottocarum, quippe qui nondum Cæsarem, ut beneficii dominum, qua par erat, reverentia, coluerat. Valuit etiam decretum, ut quotquot Proceres ac civitates in Rheni confinio, in Franconia, Sueuia, et Bojaria, imperii clientelis potiebantur, sponte suam fidem obsequiumque sacramenti religione profiterentur, et si quas arces, oppida, agros, urbes per interregni licentiam a Friderici Imperatoris tempore, male invaserant, ultro restituerent imperio*„. Rudolphum Romanorum Regem ipsis Ramalibus, id est, Dominica,

quæ

quæ medio ævo Ramispalma nonnunqnam dicebatur, et anno 1276 cadebat in diem 29. Martii, Bopardiæ fuisse, probat diploma, quo is confirmavit privilegia et donationes a Ducibus Pomeraniæ Ordini Teutonico factas, ex Originali desumptum apud *DOGIEL Cod. diplomat. Polon. T. IV. num. XXXVIII. p.* 81, „*Datum Bopardiæ 4. Kal. Aprilis, Indictione quarta, Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, Regni vero nostri anno tertio*„. Patet inde, Adlzreitterum, quæ de comitiis habet Bopardiæ celebratis, non confinxisse. Hæc illa sunt comitia, de quibus Rudolphus in literis ad Archiepiscopum Salisburgensem apud *GERBERT Cod. epist. L. II. num. LVI. p.* 133, a Commentatore ex præconcepta opinione perperam ad mensem Septembrem relatis, pandendum duxit„ *Quod Curiam nostram solemnem in tali loco, et tali die, copiosa nobis Principum assidente caterva, et præelectæ stipati militiæ comitiva, cui temporibus nostris vix visa est consimilis, celebravimus condecenter in Regio potentatu, constitutionibus plurimis editis, cingulo militari multis tyronibus decoratis, et omnibus aliis, quæ sedentem in throno Regem magnificant, et regalem exornant Curiam, rite actis, et de contingentibus nil omissis, licet sedentis ab Aquilone Regis Bohemiæ calliditas visa fuerit in occulto, cum nequiret in publico, nostris tam celebribus obviare progressibus, tamque proficuis et festivis solemniis in tentatione nefaria contraire*„. Clar. *GERBERT l. c. in adnot.* 2., præeunte licet subdubitanter *HANSIZIO Germ. sacr. T. II. p.* 386, quos Historiographi recentiores fere omnes sequuntur, existimat, Comitia Campidunensia, quæ Rudolphus anno 1276 in procinctu contra Ottocarum constitutus habuisse dicitur, hic indigitari, provocatque ad testimonium Aventini. Verum *AVENTINUS Annal. Boj. L. VII. edit. Ingolstad.* 1554 *p.* 710, *edit. Lips.* 1710 *p.* 677 hæc tantum dicit„ *Porro Cæsar comparato exercitu cum Ludovico genero suo in Boioariam movet. Campoduni in confinio superioris. inferiorisque Vindeliciæ castra facit, fines Heinrici igne, ferro depopulatur*„. De Comitiis ne verbulum quidem. Sed cætera quoque Aventini, ut ex infra dicendis apparebit, veritati minus consonant, nisi de parte exercitus Cæsarei, quam Albertus Rudolphi primogenitus per Tyrolense et Salisburgense territorium in Austriam duxerat, intelligantur. Bopardia igitur est locus, Dominica Palmarum dies hactenus Historicis ignorati Comitiorum Anno 1276. celebratorum, de quorum eventibus Rudolphus Archiepiscopum Salisburgensem certiorem reddit in epistola supra citata, quam proinde ad mensem Aprilim retrahendam puto, suffragantibus mihi epistolæ præcedentis *num. LV. p.* 131, ad quam illa est responsoria, verbis: *Quidquid neglectum fuerit hac æstate, vix de cætero convalescet*„, quæ sane indicant, has literas ad menses æstivum tempus præcedentes pertinere, sicut jam notavit *CENNIUS*, primus earundem epistolarum editor atque illustrator, *L. II. num. XI. p.* 383. Bopardia redux Rudolphus literas investituræ de castro Homburg apud *LÜNIG Spicil. secul. P. II. p.* 984 Godefrido Comiti de Sayn dedit„ *Moguntiæ Nonis Aprilis indict. IV. anno Domini* 1276„. Reliquum veris tempus, ac æstatis partem ad Rhenum superiorem transegerat testantibus diplomatibus ab eo datis *Hagenowe XIII. Kal. Maji*, et *V. Kal Julii*, *Basileae II. Kal. Augusti* anno 1276 apud *SCHÖPFLIN Hist. Zaringo — Badens. T. V. in Cod. prob.* p. 262, *HERRGOTT Geneal. diplom. in Cod. prob. Vol. III. num. DLVII. p.* 461 et *LÜNIG*

Spicileg. eccl. Cont. II. p. 129, itemque Annalibus Colmar. apud *URSTIS. P. II. p.* 12 ad an. 1276 memorantibus: „ *Pridie calendas Junij, comes Theobaldus de Phirreto fecit curiam magnam, cui interfuit rex et regina*„. Jidem porro Annales Colmar. *l. c. p.* 13. *ad eund. an.* referunt:„ *In festo Dominici* (4. Aug.) *præparavit Rudolfus Rex expeditionem suam contra regem Bohemorum*„. Hoc tempore censendus est dedisse epistolam apud *GERBERT L. II. num. XLVIII. p.* 122, in qua dicit:„ *disponimus et in voto gerimus versus Aegram una cum filio L.* (Ludovico Palatino Rheni, genero), *Rege Regum dirigente feliciter gressus nostros, festinis progressibus nos conferre, Primogenito nostro versus partes Austriæ cum armatorum multitudine et armatorum militum copiositate, apparatu decentissimo destinato*„. Cl. Commentator *l. c. not.* 3 epistolam hanc in tempus anterius rejicit, eo, quod consilium Egram petendi jam ante arreptum iter immutatum fuisse putet, Henrico Bavariæ Duce, qui Ottocaro foedere junctus obstiturus credebatur, jam mense Junii ad frugem redeunte, viamque breviorem per Campidunum, Bavariamque inferiorem aperiente. At Henricum Rudolpho Ratisbonæ jam constituto demum conciliatum fuisse supra vidimus, et Rudolphi iter per Campidunum, adjacentemque Bavariæ partem figmentum esse notissimi hallucinatoris Aventini jam ostendere aggredimur. Mutavit quidem consilium Rudolphus, sed itineris in epistola ad Archiepiscopum Salisburgensem designati maxima parte jam absoluta, et alia de causa. Annales Colmar. *l. c. P. alt. p.* 41 initium expeditionis circa diem quartam Augusti susceptæ describentes ajunt:„ *Rex terram suam cum paucis exivit, sed de die in diem plures milites acquisivit. Cum autem Moguntiam venisset, dixit ad eum Dominus de Clingin*„. Non ergo Basilea, ubi adhuc ultima die Julii fuerat, Campidunum, sed Moguntiam profectus est, non per Sveviam atque Bavariam inferiorem, ut Aventino hactenus communiter creditum fuit, in Austriam, sed per Franconiam, ut primo destinaverat, in Bohemiam arma illaturus. Progrediens hac via donationem fecit ecclesiæ S.S. Simonis et Judæ teste *HEINECCIO Antiquit. Goslar. p.* 292 per diploma„ *datum Nurinberck VII. Kal. Sept. Ind. IV. anno Domini* 1276„ id est 26. Augusti ejusdem anni. An Norimberga ulterius Bohemiam versus processerit, mihi non constat. Scripserat Rudolphus paulo ante susceptam expeditionem Ludovico comiti Palatino Rheni, vel Friderico Burggravio Norimbergensi literas apud *GERBERT l. c. L. II. num XLVII. p.* 121 a Commentatore ex præconcepta de itinerario per Aventinum ordinato opinione denuo erronee ad tempus anterius relatas, quibus rogat,„ *quatenus ad occupationem castrorum prædicti Regis, quæ tuæ sunt viciniora provinciæ, omnes animi tui curas et studia opportuna convertere non omittas, ut ad invasionem ipsius per eadem loca liberior nobis transitus pateat, et ingressus habilior*„. Nulla extat memoria, mandatum hocce feliciter fuisse executioni datum, occupataque aliqua castra Bohemiæ, Palatinatui superiori adjacentia. Id primum videtur irruptioni in Bohemiam obicem posuisse. Aliud impedimentum objecit Ottocarus cum exercitu suo in finibus excubans, omnesque per sylvas et montes accessus obstruens, atque ita Rudolphum cogens mutare consilium et aliud aggredi iter. „*Comperiens itaque Rex Bohemorum* (sunt verba continuatoris Cosmæ Pragens. *T. I. S. R. Boh.* p. 420 ad an. 1276), *quod Rudolphus attemptaret ingredi terminos suos, misit exercitus in occursum ejus versus Tepla*

ad

ad repugnandum, ne intraret metas ejus; — Sciens itaque Rex Rudolfus, quod Ottokarus Rex in occurſum ſuum exercitus Bohemorum venire decreviſſet, alierſum divertit greſſus ſuos, et proceſſit ex alia parte Danubii verſus Auſtriam„. In eundem ſenſum loquitur Pulkava apud *DOBNER T. III. p.* 236 ad an. 1276. Chronicon Bohem. cap. 75. apud *LUDEWIG Reliq. Mſt. T. XI. p.* 308. et apud *MENKEN T. III. S. R. G. col.* 1724 ait: „*Quod Rex Ottokarus comperiens ſuum in occurſum Romano Regi mititt exercitum, prohibens, ne Bohemiæ metas attingat. Rudolphus hoc itaque audiens divertit Auſtriam„.* Clariſſime vero omnium *DUBRAVIUS Lib. XVII. p.* 141 *edit. Hanoviæ* 1602: „ *Cæſare cum ſuis deſtinatum habente Hercyniam ſylvam occupare, ac inde per Teplenſes agros in Boiemiam interiorem inſinuare, ſed prævertit Rex omnia in ſylvas et montes itinera omni modo impedire, ne qua facultas fieret introeundi. Ergo Cæſar exercitum in Auſtriam ultra Danubium traducit„.* Norimberga igitur vel forte Amberga divertit Rudolphus traducto ad dextram Danubii ripam milite Ratiſbonam, ubi eum Chronicon Auſtrale ſupra citatum excipit, et inde in Auſtriam. Elapſo, poſtquam Norimbergæ adfuit, menſe Rudolphus vnacum Duce Bavariæ Henrico jam Pataviam attigit teſte diplomate, quod ab eo in gratiam Petri Patavienſis Epiſcopi eſt„ *datum Pataviæ VI. Kal. Octob.* „id eſt 26. Sept. 1276 apud *HANSIZ Germ. ſacr. T. I. p.* 415. Manifeſtum fit ex hiſce adnotationibus, Henricum Bavariæ ducem intra primam circiter et vigeſimam Septembris cum Rudolpho fuiſſe conciliatum, feuda ab eo ſuſcepiſſe, et filium ſuum ejuſdem filiæ in maritum dediſſe. Ottocaro in finibus Bohemiæ tum agenti hice eventus paucos poſt dies innoteſcere poterant. Quare epiſtolam præſentem ab Ottocaro menſe Septembri vergente datam fuiſſe rite colligimus. Tantæ molis erat veteres abſtergere ſordes!

3) Repetuntur in Codice hoc loco verba ſuperiora: *quæ fecimus,* veriſimiliter per ſcribæ oſcitantiam. Hinc omittenda cenſui.

4) Cod. habet: *extranea.*

5) *imminente neceſſitatis articulo.* Hæc quoque verba indicio ſunt, præſentes complicatas fuiſſe Rudolpho terris Ottocari cum exercitu jam apropinquante.

6) Cod. habet: *amica.*

7) Cod: *tuo.*

8) *qui locali ſibi vicinitate coniuncti — amici Kariſſimi.* Verba poſteriora indicant, ad plures exaratam fuiſſe epiſtolam præſentem principes, Ottocaro tum adhuc faventes. Inter hos Horneck in Chronico rhythmico apud *PETZ T. III. cap. CXXX. p.* 136 adhuc tempore inveſtituræ, quam Ottocarus a Rudolpho ſuſcepit, recenſet Henricum Ducem Wratislavienſem et Ottonem dictum Sagittarium, Marchionem Brandenburgenſem. Præter hos a partibus Ottocari tunc temporis ſtabat quoque Henricus Illuſtris, Miſniæ Marchio et Landgravius Thuringiæ, cum filiis Theodorico de Landsberg et Alberto Degenere. Pater primum ineunte anno 1277 ſe Rudolpho ſubmiſiſſe videtur, quod colligo ex diplomate, quo Rudolphus Eliſabethæ

Henrici Misniæ Marchionis tertiæ conjugi, filioque Friderico ex ea genito Principatus et ingenuitatis dignitatem impertitur, dato apud *Znoymam II. Non. Januarii* anno 1277 apud *HORN Henricus Illust. in Cod. dipl. num. LII. p.* 342, tum ex alio *ibid. p.* 365 dato *Viennæ IV. Non. Martii* ejusdem anni, quod ita orditur Rudolphus: „*Literas fidelis Principis nostri* Henrici, *Misnensis et Orientalis Marchionis, Thuringiæ Landgravii et Saxonie Comitis Palatini ipsius sigillo munitas gaudenter accepimus in hac verba*,,, maxime vero ex literis Rudolphi datis *Altenburgi VI. Id. Aprilis anno regni quarto*, qui convenit anno 1277, ad civitatem Bisontinam apud *CHIFFLET Vesont. civit. imper. P. I. p.* 229, in quibus Rudolphus expresse ita: „*Vobis ad augumentum congaudii intimamus, quod principatibus Misnensi, Orientali et Thuringiæ nostro imperio triumphaliter applicatis, per quos potentia imperii noscitur non modicum dilatata, in aliis Reipubl. negotiis persequendis libere poterimus annuente Deo convertere curas nostras*„. Filii Theodoricus et Albertus propriis a patre territoriis præfecti, adhuc paulo diutius subjectionem distulisse existimandi sunt, cum eos Ottocarus *amicos nostros* vocitans primum in ratihabitione altera pactorum cum Rudolpho initorum data *Pragæ pridie Idus Septembris* anno 1277 apud *GERBERT Cod. epist. auctuar. num. VIII. p.* 210 paci et concordiæ suæ inclusos voluerit. Ad hos itaque Marchiones Misnenses, patrem et filios, utpote terris Henrici Bavariæ Ducis viciniores, quam erant cæteri superstites Ottocaro amici, directas fuisse præsentes literas judico. Suffragantur subsequentes duæ epistolæ XVI et XVII de eadem Henrici Bavariæ Ducis perfidia tractantes, quarum una *H. Inclito Marchioni Misnensi et Orientali*, altera *Th. Inclito Marchioni de landesperch* inscripta est, quasque posteriores præsentibus esse puto, quod hæ plurima exacerbati animi indicia, primo tantum in furore sese prodentia, præseferant.

XVI.

Ottocarus replicat Henrico illustri, Misniæ Marchioni, non esse mirandum, quod Henricus Bavariæ Dux ad partes Rudolphi Cæsaris transierit. 1276 Oct. ineunte.

Dominus Rex scribit Domino Marchioni, *quod Dux* . . 1) habet naturam Scorpionis, et idcirco non miretur, quod infideliter se gesserit circa eum 2).

Magnifico principi Domino H. Inclito *Marchioni Misnensi et Orientali* 3) compatri suo Karissimo O. Dei gratia Rex Boemie Salutem et bonorum

rum omnium incrementa. Serenitatem letitie mansueta pretendit facie scorpius, idemque infert tristicie nubila caude *aculeo* 4) truculente. Quare non est mirum, *si Dux* . . 5) se nostris confederauit emulis, amica nobis uerborum dulcedine blandiendo.

1) *quod Dux* . . Suppressum est absque dubio nomen *Henricus*. Vide notam 1. ad epistolam præcedentem.

2) Hæ et subsequentes literæ videntur esse replicæ ad responsorias, quas Marchiones Misnenses dederant ad præcedentes, hinc initio Octobris anni 1276 assigendæ; tunc enim responsa Marchionum Misnensium ad Ottocarum pervenire jam poterant. Quantum ex utraque Ottocari epistola conjicere licet, Henricus illustris in sua responsione de Bavariæ Ducis perfidia valde miratus, Theodoricus vero, ejus filius, Ottocarum solatus fuit, sperandum esse, quod Henricus Bavarus, licet defecerit, tamen hostiliter adversus eum acturus non sit.

3) *Marchioni Misnensi et Orientali.* Hunc Titulum Henrico illustri post annum 1263 usitatum fuisse docent plurima ejus diplomata apud *HORN Henricus illustris Cod. diplomat. p.* 318 *et seqq.*

4) Cod. habet: *eculeo.*

5) *Si Dux* . . Supple iterum: *Henricus.*

XVII.

Ottocarus rescribit Theodorico Misniæ Marchioni, quod fracto foedere inimicitias quoque ab Henrico Bavariæ Duce exspectet. 1276 Octobri ineunte.

Rescribit Rex Marchioni, quod non ambigit, quin Dux infideliter debeat sibi inimicari.

Magnifico Principi Domino Th. Inclito *Marchioni de landesperch* 1) affini suo Karissimo O. Dei gratia Rex Boemie Salutem et blandientis fortune

tune muneribus continue prosperari. Querenda non est in homine falso legalitas, siue serenus applaudat, siue turbidus persequatur, Eo quod eiusmodi sit preclara sinceritas, ut, si suis pulsa non reperitur in laribus, in alienis nequeat ullatenus inueniri. Qui enim veneno perfidie uiciauit amiciciam, quid est, quod per ipsum sperare debeamus posse fideliter inimicicias exercere? *Dux autem talis* 2), quod inuiti referimus, cum dolo fedus iniens, fraudem sibi matrimonialiter copulauit. Quare nulla penitus fluctuamus dubietate, quin *ipse* 3) lesa fide *pertractet hostilia* 4), cum dolosus *ypocrita* 5) simularit amorem.

1) *Marchioni de landessperch.* Henricus illustris Marchio Misnensis et Orientalis, Landgravius Thuringiæ et Comes Palatinus Saxoniæ, circa annum 1263 regiones et dominatum partitus, primogenito Alberto regundam tradidit Thuringiam, Theodorico vero natu minori ditionem Landsbergensem, et Osterlandiam, unde hic nomen Marchionis de Landsberg sumpsit. Vid. *HORN Henricus illustris* §. *XX—XXIX. p.* 193—202 *et in Cod. diplomat. num. XLV.*

2) *Dux autem talis.* Lege supplendo: *Dux autem Henricus.*

3) Cod. habet: *ipsa.*

4) *pertractet hostilia.* Nondum ergo tempore datæ hujus epistolæ exploratum habuit Ottocarus, Henricum Bavariæ Ducem copias suas junxisse Rudolpho, atque unacum eo in Austriam irrupisse; ante medium vero Octobrem hac de re ei certe constabat, cum die sexta Octobris jam Freystadii, oppido superioris Austriæ ex aquilonari Danubii parte, Rudolphus vero, quem Henricus Bavariæ Dux comitabatur, decima Octobris Lincii in meridionali Danubii ripa fuerit, quemadmodum patet ex diplomatibus Ottocari et Rudolphi apud *WURMBRAND Collect. genealogico-histor. pag.* 311 *et* 217, quorum illud est *Datum in Vreynstadt pridie Nonas Octobris*, hoc vero *in castris apud Linz VI. Id. Octobr. anno Domini* 1276. Vix ergo dubium esse potest, epistolas præsentem et præcedentem ad initium Octobris 1276 referendas esse.

5) Cod. habet: *ypocritam.*

XVIII.

Ottocarus Rudolpho Romanorum Regi ſignificat, ſe ad quæſita ejus per nuncium Ulricum Protonotarium reſpondere, cui fidem adhiberi petit. 1276 Dec. ineunte.

Vt nuncio tranſmiſſo credatur ſuper hijs, que duxerit proponenda 1).

Per ſuas literas ſignificauit nobis ueſtri culminis celſitudo, ut ad ea, que nobis denotaſtis in ipſis, reſpondere ſtudioſius deberemus. Nos igitur uolentes in hijs et alijs quibuſlibet ueſtre poteneie complacere, . . *Ad veſtram preſenciam duximus deſtinandum* 2), reſpondentes uobis per ipſum ad ea, ſuper quibus ueſtra ſibi per nos pecijt excellencia reſponderi, ut idem plenius et clarius uobis notificet *viua* uocis expreſſione, quam poſſet facere ſeries literarum. Qua de cauſa ueſtram deprecamur attencius maieſtatem, quatenus prefato . . ſuper omnibus, que uobis ex parte noſtra dixerit reſpondendo, fidem dignemini credulam adhibere. Regi Rudolpho.

1) Primas haſce eſſe, quas Ottocarus conciliatus ad Rudolphum Romanorum Regem deſtinaverat, literas, easque paulo poſt ratificatum ab utroque in caſtris ante wiennam die 26. Novembris 1276 laudum concordiæ datas plura ſvadent. Primum poſita ad finem earumdem verba: *Regi Rudolpho*, quæ in aliis epiſtolis non occurrunt, veriſimiliter inſinuantia, hunc titulum reſpectu Rudolphi tum in Cancellaria Regis Bohemiæ recenter in uſum veniſſe. Alterum, quod nullæ in iis adhuc legantur de non ſervatis laudi conditionibus querelæ, quibus poſteriores epiſtolæ refertæ ſunt. Tertium, quod nuntii ad Rudolphum deſtinati mentionem injiciant; de uno vero tantum nuncio Ottocari apud Rudolphum exiſtente nulla extent veſtigia, niſi in epiſtola ſequenti, quæ indubitate medio circiter Decembri 1276 exarata fuit. Poſtremum, quod in eadem epiſtola ſequenti ad haſce provocare videatur Ottocarus. Vid. *nota* 6. *et* 13. *ad epiſt. ſeq.*

2) . . *Ad veſtram preſenciam duximus deſtinandum.* Nuncium, cujus nomen a ſcriba ſupprimitur, Ulricum Regis Ottocari Protonotarium fuiſſe nota 13. ad epiſtolam XIX. probabile reddit.

XIX.

XIX.

Ottocarus rogat Rudolphum, ut retractari faciat, quæ post et contra laudum concordiæ a cæsareis perpetrata narrat, simulque ipsi impertiatur alia, quæ præsens petere oblitus erat. 1276 Decemb. circiter medio.

Rex Boemie scribit Regi Romanorum, ut retractentur *spolia* 1) commissa 2).

Cum *eramus nuper in uestre maiestatis presencia constituti* 3), tot instancium negociorum tam uos quam nos inuoluti eramus perplexitatibus, cum et uos vestrum exercitum et nos nostrum dimissoria uellemus liberare licencia, multaque alia pre curiosis nostris manibus versarentur, ut pleraque de archiuo nostre dilapsa memorie, que uestris erant necessario auribus instillanda, omiserimus explicare. Et idcirco que tunc uobis uiue uocis oraculo non insinuauimus, ad literarum confugientes remedium, que mittentis supplent absenciam, *lingue* 4) officio ministerio succedente calami declaramus, tenore presencium celsitudini Regie referentes, quod, *quamuis . . Ciuitas fuisset dos bone memorie olim domine matris nostre* 5), tamen uobis eam, postquam promisimus, duximus assignandam, volentes promissionem nostram, quam fecimus, inuiolabiliter obseruare, nec minus sperantes de vestre mansuetudinis benignitate, quod nobis in ea maiestas gratie fauoralis oculo blandius arridebit, quam emulorum nostrorum opinio teneat, qui non dant nobis de vestra gratia spem sinceram. Nec solum in Egra confidimus uos nobis inuenire propicios, verum eciam spei certe freta presidijs nobis indubitata dictat credulitas, quod municiones (*et*) Castra, que in Egrensi habemus provincia, ad nos tytulo empcionis spectancia, nobis ius nostrum conseruabitis in eisdem, tamquam qui actus uestros dirigitis, ut suo Jure quilibet gaudeat, prout debitum officij regalis ascisit. Insuper sicut *per priores nostras literas* 6) asseruimus, sic

eciam

eciam harum ſerie inculcamus, quod omnia, quecunque uobis promiſimus, obſeruacionis *ſtabilis* 7) conſtancia ſeruare uolumus, et execucionis efficacis ſtudio adimplere, ut non in modico noſtra eadem promiſſio uioletur. Nam *ciuitates* 8), quas habuimus, fecimus abſque tarditatis diffugio aſſignari, nec iam reſtant niſi Egra et Haymburch tantummodo aſſignanda, autumantes cuiuſlibet relegato ancipitis dubietatis ambiguo, quod et uos promiſſionem ueſtram non reddetis ab obſeruacionis limitibus alienam, et quod retractari faciatis omnia, que poſt ordinacionem concordie inter uos et nos ſpontaneis approbacionis conſenſibus *ſtabilitam* 9) attemptata ſunt enormiter et patrata, Ita quod Caſtra Pernek (*et*) Wykhartſlag, que preter firmacionem concordie de noſtrorum manibus hoſtiliter ſunt exempta, nobis indilate faciatis reſtitui, et ad manus noſtras iterum aſſignari. Nam dicta caſtra non debuerunt per uiolenciam a noſtra eximi poteſtate, et ſi (*quis*) aliquod ius in ipſis Caſtris habuerit, hoc mediante iuſticia proſequatur, et de ſpolijs, que ſimiliter firmata pace ſunt comiſſa in Morauia, ſatiſſieri, ſicut decet, Quia, ut uerum fateamur et certum, leuiter potuimus ſpoliatoribus eiſdem ocurrere, et ne huiusmodi ſpolia comitterent, ipſorum obſiſtentes conatibus obuiare, cum iam premuniti eſſemus de ſpolijs, et adhuc totum noſtrum exercitum haberemus. Sed nos correccioni veſtre celſitudinis reſeruantes, pocius volumus tamquam impotentes uiolenciam perpeti, quam potenter iniuriam propulſare, Ne fortaſſe ex parte noſtra pacis ordinacio corrupta in aliquo uideretur, que inobſeruata eſt in *Magiſtro vl. prothonotario noſtro* 10). Nam cum cautum eſſet expreſſe in forma compoſicionis, ne idem poſſeſſione Wiennenſis Eccleſie priuaretur, *tamen* 11) ſpoliatus exſtitit. Quare petimus, ut retractetur, et ſi poſtmodum ius aliquod *Epiſcopus Patauienſis* etc. 12). Preterea priuilegia noſtra ſuper approbacione promulgacionis arbitrij, ſicut veſtre patere poteſt magnificencie, uobis tradidimus, ſed veſtra, que nobis debentur, nondum ſunt nobis uicaria uiciſſitudine aſſignata. Et idcirco maieſtatis veſtre preeminenciam duximus attencius exorandam, quatenus nobis dicta priuilegia exhiberi faciatis, nec non et illa concedat, quibus rati contineatur habicio ſingularum et omnium libertatum ac iurium, quas et que progenitores noſtri Reges Boemie a predeceſſoribus veſtris Romanorum Regibus et Imperatoribus habuerunt, . *pro* . . *nobis* 13) eadem priuilegia abſque more diſpendio tranſmittentes. Ad quod denique flexilem decet eſſe clemenciam, cum id ex nullius no-

ponam usque pervenit, Ducemque Heinricum Bavariæ, qui tum prædicto Regi Boemiæ per suas pecunias astabat, potenti manu devicit, filiam quoque suam Ottoni, filio præfati Ducis, matrimonio legitime copulavit, et ab ipso Rege Rudolpho sæpedictus Dux terram suam recepit titulo feudali. Igitur Rudolphus Rex Bavariam potenter pertransiens, Pataviam pervenit,,. Narratio isthæc susceptionem feudorum, sponsaliaque seu nuptias ante dictas haud obscure in tempus reijcit, quo Rudolphus cum exercitu suo jam in Bavaria versabatur. Verba quidem Annalium Colmar. apud *URSTIS. P. II. p.* 42. innuere videntur, conciliationem Rudolphi atque Henrici, matrimoniique sponsionem inter liberos eorum ante Rudolphi in Bavariam adventum factas fuisse. Ita enim habent: *Cum autem Rex Romanorum ad Ducem Bavariæ filiastrum suum pervenisset, ab eo suscipitur, et ei suisque necessaria abundanter et voluntarie ministrantur*,,. Sed anticipasse hoc loco videtur Annalista Colmariensis filiastri titulum, licet tractatus quosdam inter Rudolphum et Henricum ante adventum exercitus Cæsarei in Bavariam habitos quidem, at vacillante Duce nondum absolutos concedi possit. Idem enim Annalista paulopost ita prosequitur: „*Rudolphus Rex Romanorum cum duobus millibus equorum phaleratorum Bavariam veniens, tali conditione se confœderavit duci Bavariæ, ut filius ducis filiam regis duceret in uxorem, et filia ducis filio regis matrimonio iungeretur. Quo facto tradita fuit regi terra magna* (id est, ab eo titulo feudali suscepta), *et adiuncti sunt ei milites mille cum equis phaleratis*,,. Concordant ergo quoad punctum principale Annales Colmar. cum Chronico Austr. supra allegato, confirmantque sententiam, investitum de feudis Henricum, filiumque ejus filiæ Rudolphi matrimonio copulatum demum fuisse, postquam miles imperii in Bavaria stetisset. Restat igitur ad intentionem nostram solum disquirere, quo circiter mense Rudolphus cum turmis suis Bavariam intraverit, eamque peragraverit. Altius rem repetam, hac occasione plures correcturus errores ab Historicis passim adoptatos.

Teste *ADLZREITTERO Annal. Boicæ gent. T. I. Lib. XXV. p.* 685. *edit. Monach.* 1662 eo anno, quo Rudolphus Cæsar Ottocarum bello petiit, (falso ad ann. 1277. id refertur),, *Popardiæ habita comitia ipsis Ramalibus, ad quæ Rudolfus accessit cum lectissimo comitatu. Isthic ante omnia jussit disceptari jura clientelarum, quæ Imperii feuda vulgo audiunt: tum agi de bello. Quæ in commune de fiduciaria Cæsareorum beneficiorum conditione visa frequente Senatu, retulit Bernardus Agritianus Jureconsultus, nobilitate, eruditione et prudentia singulari. Audita relatione, Senatusconsulto decretum est; si quis beneficiarius Imperii, agens intra Provinciæ suæ limites, cessante impedimento, intra annum feudi dominum non adiret, eumque de more non recognosceret: tali velut indigno feudum esse auferendum. Ea lex maxime spectabat Ottocarum, quippe qui nondum Cæsarem, ut beneficii dominum, qua par erat, reverentia, coluerat. Valuit etiam decretum, ut quotquot Proceres ac civitates in Rheni confinio, in Franconia, Sueuia, et Bojaria, imperii clientelis potiebantur, sponte suam fidem obsequiumque sacramenti religione profiterentur, et si quas arces, oppida, agros, urbes per interregni licentiam a Friderici Imperatoris tempore, male invaserant, ultro restituerent imperio*,,. Rudolphum Romanorum Regem ipsis Ramalibus, id est, Dominica,

quæ

quæ medio ævo Ramispalma nonnunqnam dicebatur, et anno 1276 cadebat in diem 29. Martii, Bopardiæ fuisse, probat diploma, quo is confirmavit privilegia et donationes a Ducibus Pomeraniæ Ordini Teutonico factas, ex Originali desumptum apud *DOGIEL Cod. diplomat. Polon. T. IV. num. XXXVIII. p.* 81, „*Datum Bopardiæ 4. Kal. Aprilis, Indictione quarta, Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, Regni vero nostri anno tertio*„. Patet inde, Adlzreitterum, quæ de comitiis habet Bopardiæ celebratis, non confinxisse. Hæc illa sunt comitia, de quibus Rudolphus in literis ad Archiepiscopum Salisburgensem apud *GERBERT Cod. epist. L. II. num. LVI. p.* 133, a Commentatore ex præconcepta opinione perperam ad mensem Septembrem relatis, pandendum duxit„ *Quod Curiam nostram solemnem in tali loco, et tali die, copiosa nobis Principum assidente caterva, et præelectæ stipati militiæ comitiva, cui temporibus nostris vix visa est consimilis, celebravimus condecenter in Regio potentatu, constitutionibus plurimis editis, cingulo militari multis tyronibus decoratis, et omnibus aliis, quæ sedentem in throno Regem magnificant, et regalem exornant Curiam, rite actis, et de contingentibus nil omissis, licet sedentis ab Aquilone Regis Bohemiæ calliditas visa fuerit in occulto, cum nequiret in publico, nostris tam celebribus obviare progressibus, tamque proficuis et festivis solemniis in tentatione nefaria contraire*„. Clar. *GERBERT l. c. in adnot.* 2., præeunte licet subdubitanter *HANSIZIO Germ. sacr. T. II. p.* 386, quos Historiographi recentiores fere omnes sequuntur, existimat, Comitia Campidunensia, quæ Rudolphus anno 1276 in procinctu contra Ottocarum constitutus habuisse dicitur, hic indigitari, provocatque ad testimonium Aventini. Verum *AVENTINUS Annal. Boj. L. VII. edit. Ingolstad.* 1554 *p.* 710, *edit. Lips.* 1710 *p.* 677 hæc tantum dicit„ *Porro Cæsar comparato exercitu cum Ludovico genero suo in Boioariam movet. Campoduni in confinio superioris. inferiorisque Vindeliciæ castra facit, fines Heinrici igne, ferro depopulatur*„. De Comitiis ne verbulum quidem. Sed cætera quoque Aventini, ut ex infra dicendis apparebit, veritati minus consonant, nisi de parte exercitus Cæsarei, quam Albertus Rudolphi primogenitus per Tyrolense et Salisburgense territorium in Austriam duxerat, intelligantur. Bopardia igitur est locus, Dominica Palmarum dies hactenus Historicis ignorati Comitiorum Anno 1276. celebratorum, de quorum eventibus Rudolphus Archiepiscopum Salisburgensem certiorem reddit in epistola supra citata, quam proinde ad mensem Aprilim retrahendam puto, suffragantibus mihi epistolæ præcedentis *num. LV. p.* 131, ad quam illa est responsoria, verbis: *Quidquid neglectum fuerit hac æstate, vix de cætero convalescet*„ quæ sane indicant, has literas ad menses æstivum tempus præcedentes pertinere, sicut jam notavit *CENNIUS*, primus earundem epistolarum editor atque illustrator, *L. II. num. XI. p.* 383. Bopardia redux Rudolphus literas investituræ de castro Homburg apud *LÜNIG Spicil. secul. P. II. p.* 984 Godefrido Comiti de Sayn dedit„ *Moguntiæ Nonis Aprilis indict. IV. anno Domini* 1276„. Reliquum veris tempus, ac æstatis partem ad Rhenum superiorem transegerat testantibus diplomatibus ab eo datis *Hagenowe XIII. Kal. Maji*, et *V. Kal Julii*, *Basileae II. Kal. Augusti* anno 1276 apud *SCHÖPFLIN Hist. Zaringo — Badens. T. V. in Cod. prob.* p. 262, *HERRGOTT Geneal. diplom. in Cod. prob. Vol. III. num. DLVII. p.* 461 et *LÜNIG*

Spicileg. eccl. Cont. II. p. 129, itemque Annalibus Colmar. apud *URSTIS. P. II. p.* 12 ad an. 1276 memorantibus: „ *Pridie calendas Junij, comes Theobaldus de Phirreto fecit curiam magnam, cui interfuit rex et regina*„. Iidem porro Annales Colmar. *L. c. p.* 13. *ad eund. an.* referunt:„ *In festo Dominici* (4. Aug.) *præparavit Rudolfus Rex expeditionem suam contra regem Bohemorum*„. Hoc tempore censendus est dedisse epistolam apud *GERBERT L. II. num. XLVIII. p.* 122, in qua dicit:„ *disponimus et in voto gerimus versus Aegram una cum filio L.* (Ludovico Palatino Rheni, genero), *Rege Regum dirigente feliciter gressus nostros, festinis progressibus nos conferre, Primogenito nostro versus partes Austriæ cum armatorum multitudine et armatorum militum copiositate, apparatu decentissimo destinato*„. Cl. Commentator *l. c. not.* 3 epistolam hanc in tempus anterius rejicit, eo, quod consilium Egram petendi jam ante arreptum iter immutatum fuisse putet, Henrico Bavariæ Duce, qui Ottocaro foedere junctus obstiturus credebatur, jam mense Junii ad frugem redeunte, viamque breviorem per Campidunum, Bavariamque inferiorem aperiente. At Henricum Rudolpho Ratisbonæ jam constituto demum conciliatum fuisse supra vidimus, et Rudolphi iter per Campidunum, adjacentemque Bavariæ partem figmentum esse notissimi hallucinatoris Aventini jam ostendere aggredimur. Mutavit quidem consilium Rudolphus, sed itineris in epistola ad Archiepiscopum Salisburgensem designati maxima parte jam absoluta, et alia de causa. Annales Colmar. *l. c. P. alt. p.* 41 initium expeditionis circa diem quartam Augusti susceptæ describentes ajunt:„ *Rex terram suam cum paucis exivit, sed de die in diem plures milites acquisivit. Cum autem Moguntiam venisset, dixit ad eum Dominus de Clingin*„. Non ergo Basilea, ubi adhuc ultima die Julii fuerat, Campidunum, sed Moguntiam profectus est, non per Sveviam atque Bavariam inferiorem, ut Aventino hactenus communiter creditum fuit, in Austriam, sed per Franconiam, ut primo destinaverat, in Bohemiam arma illaturus. Progrediens hac via donationem fecit ecclesiæ S.S. Simonis et Judæ teste *HEINECCIO Antiquit. Goslar. p.* 292 per diploma„ *datum Nurinberck VII. Kal. Sept. Ind. IV. anno Domini* 1276„ id est 26. Augusti ejusdem anni. An Norimberga ulterius Bohemiam versus processerit, mihi non constat. Scripserat Rudolphus paulo ante susceptam expeditionem Ludovico comiti Palatino Rheni, vel Friderico Burggravio Norimbergensi literas apud *GERBERT l. c. L. II. num XLVII. p.* 121 a Commentatore ex præconcepta de itinerario per Aventinum ordinato opinione denuo erronee ad tempus anterius relatas, quibus rogat, „ *quatenus ad occupationem castrorum prædicti Regis, quæ tuæ sunt viciniora provinciæ, omnes animi tui curas et studia opportuna convertere non omittas, ut ad invasionem ipsius per eadem loca liberior nobis transitus pateat, et ingressus habilior*„. Nulla extat memoria, mandatum hocce feliciter fuisse executioni datum, occupataque aliqua castra Bohemiæ, Palatinatui superiori adjacentia. Id primum videtur irruptioni in Bohemiam obicem posuisse. Aliud impedimentum objecit Ottocarus cum exercitu suo in finibus excubans, omnesque per sylvas et montes accessus obstruens, atque ita Rudolphum cogens mutare consilium et aliud aggredi iter. „*Comperiens itaque Rex Bohemorum* (sunt verba continuatoris Cosmæ Pragens. *T. I. S. R. Boh.* p. 420 ad an. 1276), *quod Rudolphus attemptaret ingredi terminos suos, misit exercitus in occursum ejus versus Tepla*

ad

ad repugnandum, ne intraret metas ejus; — Sciens itaque Rex Rudolfus, quod Ottokarus Rex in occursum suum exercitus Bohemorum venire decrevisset, aliorsum divertit gressus suos, et processit ex alia parte Danubii versus Austriam,,. In eundem sensum loquitur Pulkava apud *DOBNER T. III. p.* 236 ad an. 1276. Chronicon Bohem. cap. 75. apud *LUDEWIG Reliq. Mst. T. XI. p.* 308. et apud *MENKEN T. III. S. R. G. col* 1724 ait: „*Quod Rex Ottokarus comperiens suum in occursum Romano Regi mitit exercitum, prohibens, ne Bohemiæ metas attingat. Rudolphus hoc itaque audiens divertit Austriam*,,. Clarissime vero omnium *DUBRAVIUS Lib. XVII. p.* 141 *edit. Hanoviæ* 1602:,, *Cæsare cum suis destinatum habente Hercyniam sylvam occupare, ac inde per Teplenses agros in Boiemiam interiorem insinuare, sed prævertit Rex omnia in sylvas et montes itinera omni modo impedire, ne qua facultas fieret introeundi. Ergo Cæsar exercitum in Austriam ultra Danubium traducit*,,. Norimberga igitur vel forte Amberga divertit Rudolphus traducto ad dextram Danubii ripam milite Ratisbonam, ubi eum Chronicon Australe supra citatum excipit, et inde in Austriam. Elapso, postquam Norimbergæ adfuit, mense Rudolphus vnacum Duce Bavariæ Henrico jam Pataviam attigit teste diplomate, quod ab eo in gratiam Petri Pataviensis Episcopi est,, *datum Pataviæ VI. Kal. Octob.* „id est 26. Sept. 1276 apud *HANSIZ Germ. sacr. T. I. p.* 415. Manifestum fit ex hisce adnotationibus, Henricum Bavariæ ducem intra primam circiter et vigesimam Septembris cum Rudolpho fuisse conciliatum, feuda ab eo suscepisse, et filium suum ejusdem filiæ in maritum dedisse. Ottocaro in finibus Bohemiæ tum agenti hice eventus paucos post dies innotescere poterant. Quare epistolam præsentem ab Ottocaro mense Septembri vergente datam fuisse rite colligimus. Tantæ molis erat veteres abstergere sordes!

3) Repetuntur in Codice hoc loco verba superiora: *quæ fecimus*, verisimiliter per scribæ oscitantiam. Hinc omittenda censui.

4) Cod. habet: *extranea.*

5) *imminente necessitatis articulo.* Hæc quoque verba indicio sunt, præsentes complicatas fuisse Rudolpho terris Ottocari cum exercitu jam apropinquante.

6) Cod. habet: *amica.*

7) Cod: *tuo.*

8) *qui locali sibi vicinitate coniuncti — amici Karissimi.* Verba posteriora indicant, ad plures exaratam fuisse epistolam præsentem principes, Ottocaro tum adhuc faventes. Inter hos Horneck in Chronico rhythmico apud *PETZ T. III. cap. CXXX. p.* 136 adhuc tempore investituræ, quam Ottocarus a Rudolpho suscepit, recenset Henricum Ducem Wratislaviensem et Ottonem dictum Sagittarium, Marchionem Brandenburgensem. Præter hos a partibus Ottocari tunc temporis stabat quoque Henricus Illustris, Misniæ Marchio et Landgravius Thuringiæ, cum filiis Theodorico de Landsberg et Alberto Degenere. Pater primum ineunte anno 1277 se Rudolpho submisisse videtur, quod colligo ex diplomate, quo Rudolphus Elisabethæ Hen-

Henrici Misniæ Marchionis tertiæ conjugi, filioque Friderico ex ea genito Principatus et ingenuitatis dignitatem impertitur, dato *apud Znoymam II. Non. Januarii* anno 1277 apud *HORN Henricus Illust. in Cod. dipl. num. LII. p.* 342, tum ex alio *ibid. p.* 365 dato *Viennæ IV. Non. Martii* ejusdem anni, quod ita orditur Rudolphus: „*Literas fidelis Principis nostri* Henrici, *Misnensis et Orientalis Marchionis, Thuringiæ Landgravii et Saxonie Comitis Palatini ipsius sigillo munitas gaudenter accepimus in hæc verba*,,, maxime vero ex literis Rudolphi datis *Altenburgi VI. Id. Aprilis anno regni quarto*, qui convenit anno 1277, ad civitatem Bisontinam apud *CHIFFLET Vesont. civit. imper. P. I. p.* 229, in quibus Rudolphus expresse ita: „*Vobis ad augmentum congaudii intimamus, quod principatibus Misnensi, Orientali et Thuringiæ nostro imperio triumphaliter applicatis, per quos potentia imperii noscitur non modicum dilatata, in aliis Reipubl. negotiis persequendis libere poterimus annuente Deo convertere curas nostras*,,. Filii Theodoricus et Albertus propriis a patre territoriis præfecti, adhuc paulo diutius subjectionem distulisse existimandi sunt, cum eos Ottocarus *amicos nostros* vocitans primum in ratihabitione altera pactorum cum Rudolpho initorum data *Pragæ pridie Idus Septembris* anno 1277 apud *GERBERT Cod. epist. auctuar. num. VIII. p.* 210 paci et concordiæ suæ inclusos voluerit. Ad hos itaque Marchiones Misnenses, patrem et filios, utpote terris Henrici Bavariæ Ducis viciniores, quam erant cæteri superstites Ottocaro amici, directas fuisse præsentes literas judico. Suffragantur subsequentes duæ epistolæ XVI et XVII de eadem Henrici Bavariæ Ducis perfidia tractantes, quarum una *H. Inclito Marchioni Misnensi et Orientali*, altera *Th. Inclito Marchioni de landesperch* inscripta est, quasque posteriores præsentibus esse puto, quod hæ plurima exacerbati animi indicia, primo tantum in furore sese prodentia, præseferant.

XVI.

Ottocarus replicat Henrico illustri, Misniæ Marchioni, non esse mirandum, quod Henricus Bavariæ Dux ad partes Rudolphi Cæsaris transierit. 1276 Oct. ineunte.

Dominus Rex scribit Domino Marchioni, *quod Dux* . . 1) habet naturam Scorpionis, et idcirco non miretur, quod infideliter se gesserit circa eum 2).

Magnifico principi Domino H. Inclito *Marchioni Misnensi et Orientali* 3) compatri suo Karissimo O. Dei gratia Rex Boemie Salutem et bonorum

rum omnium incrementa. Serenitatem letitie mansueta pretendit facie scorpius, idemque infert tristicie nubila caude *aculeo* 4) truculente. Quare non est mirum, *si Dux* . . 5) se nostris confederauit emulis, amica nobis uerborum dulcedine blandiendo.

1) *quod Dux* . . Suppressum est absque dubio nomen *Henricus.* Vide notam 1. ad epistolam præcedentem.

2) Hæ et subsequentes literæ videntur esse replicæ ad responsorias, quas Marchiones Misnenses dederant ad præcedentes, hinc initio Octobris anni 1276 affigendæ; tunc enim responsa Marchionum Misnensium ad Ottocarum pervenire jam poterant. Quantum ex utraque Ottocari epistola conjicere licet, Henricus illustris in sua responsione de Bavariæ Ducis perfidia valde miratus, Theodoricus vero, ejus filius, Ottocarum solatus fuit, sperandum esse, quod Henricus Bavarus, licet defecerit, tamen hostiliter adversus eum acturus non sit.

3) *Marchioni Misnensi et Orientali.* Hunc Titulum Henrico illustri post annum 1263 usitatum fuisse docent plurima ejus diplomata apud *HORN Henricus illustris Cod. diplomat. p.* 318 *et seqq.*

4) Cod. habet: *eculeo.*

5) *Si Dux* . . Supple iterum: *Henricus.*

XVII.

Ottocarus rescribit Theodorico Misniæ Marchioni, quod fracto foedere inimicitias quoque ab Henrico Bavariæ Duce exspectet. 1276 Octobri ineunte.

Rescribit Rex Marchioni, quod non ambigit, quin Dux infideliter debeat sibi inimicari.

Magnifico Principi Domino Th. Inclito *Marchioni de landesperch* 1) affini suo Karissimo O, Dei gratia Rex Boemie Salutem et blandientis for-

tune

tune muneribus continue prosperari. Querenda non est in homine falso legalitas, siue serenus applaudat, siue turbidus persequatur, Eo quod eiusmodi sit preclara sinceritas, ut, si suis pulsa non reperitur in laribus, in alienis nequeat ullatenus inueniri. Qui enim veneno perfidie uiciauit amiciciam, quid est, quod per ipsum sperare debeamus posse fideliter inimicicias exercere? *Dux autem talis* 2), quod inuiti referimus, cum dolo fedus iniens, fraudem sibi matrimonialiter copulauit. Quare nulla penitus fluctuamus dubietate, quin *ipse* 3) lesa fide *pertractet hostilia* 4), cum dolosus *ypocrita* 5) simularit amorem.

1) *Marchioni de landesperch.* Henricus illustris Marchio Misnensis et Orientalis, Landgravius Thuringiæ et Comes Palatinus Saxoniæ, circa annum 1263 regiones et dominatum partitus, primogenito Alberto regundam tradidit Thuringiam, Theodorico vero natu minori ditionem Landsbergensem, et Osterlandiam, unde hic nomen Marchionis de Landsberg sumpsit. Vid. *HORN Henricus illustris* §. *XX—XXIX. p.* 193—202 *et in Cod. diplomat. num. XLV.*

2) *Dux autem talis.* Lege supplendo: *Dux autem Henricus.*

3) Cod. habet: *ipsa.*

4) *pertractet hostilia.* Nondum ergo tempore datæ hujus epistolæ exploratum habuit Ottocarus, Henricum Bavariæ Ducem copias suas junxisse Rudolpho, atque unacum eo in Austriam irrupisse; ante medium vero Octobrem hac de re ei certe constabat, cum die sexta Octobris jam Freystadii, oppido superioris Austriæ ex aquilonari Danubii parte, Rudolphus vero, quem Henricus Bavariæ Dux comitabatur, decima Octobris Lincii in meridionali Danubii ripa fuerit, quemadmodum patet ex diplomatibus Ottocari et Rudolphi apud *WURMBRAND Collect. genealogico-histor. pag.* 311 *et* 217, quorum illud est *Datum in Vreynstadt pridie Nonas Octobris*, hoc vero *in castris apud Linz VI. Id. Octobr. anno Domini* 1276. Vix ergo dubium esse potest, epistolas præsentem et præcedentem ad initium Octobris 1276 referendas esse.

5) Cod. habet: *ypocritam.*

XVIII.

XVIII.

Ottocarus Rudolpho Romanorum Regi significat, se ad quæsita ejus per nuncium Ulricum Protonotarium respondere, cui fidem adhiberi petit. 1276 Dec. ineunte.

Vt nuncio transmisso credatur super hijs, que duxerit proponenda 1).

Per suas literas significauit nobis uestri culminis celsitudo, ut ad ea, que nobis denotastis in ipsis, respondere studiosius deberemus. Nos igitur uolentes in hijs et alijs quibuslibet uestre poteneie complacere, . . *Ad vestram presenciam duximus destinandum* 2), respondentes uobis per ipsum ad ea, super quibus uestra sibi per nos pecijt excellencia responderi, ut idem plenius et clarius uobis notificet viua uocis expressione, quam posset facere series literarum. Qua de causa uestram deprecamur attencius maiestatem, quatenus prefato . . super omnibus, que uobis ex parte nostra dixerit respondendo, fidem dignemini credulam adhibere. Regi Rudolpho.

1) Primas hasce esse, quas Ottocarus conciliatus ad Rudolphum Romanorum Regem destinaverat, literas, easque paulo post ratificatum ab utroque in castris ante wiennam die 26. Novembris 1276 laudum concordiæ datas plura svadent. Primum posita ad finem earumdem verba: *Regi Rudolpho*, quæ in aliis epistolis non occurrunt, verisimiliter insinuantia, hunc titulum respectu Rudolphi tum in Cancellaria Regis Bohemiæ recenter in usum venisse. Alterum, quod nullæ in iis adhuc legantur de non servatis laudi conditionibus querelæ, quibus posteriores epistolæ refertæ sunt. Tertium, quod nuntii ad Rudolphum destinati mentionem injiciant; de uno vero tantum nuncio Ottocari apud Rudolphum existente nulla extent vestigia, nisi in epistola sequenti, quæ indubitate medio circiter Decembri 1276 exarata fuit. Postremum, quod in eadem epistola sequenti ad hasce provocare videatur Ottocarus. Vid. *nota* 6. *et* 13. *ad epist. seq.*

2) . . *Ad vestram presenciam duximus destinandum.* Nuncium, cujus nomen a scriba supprimitur, Ulricum Regis Ottocari Protonotarium fuisse nota 13. ad epistolam XIX. probabile reddit.

XIX.

XIX.

Ottocarus rogat Rudolphum, ut retractari faciat, quæ poſt et contra laudum concordiæ a cæſareis perpetrata narrat, ſimulque ipſi impertiatur alia, quæ præſens petere oblitus erat. 1276 Decemb. circiter medio.

Rex Boemie ſcribit Regi Romanorum, ut retractentur *ſpolia* 1) commiſſa 2).

Cum *eramus nuper in ueſtre maieſtatis preſencia conſtituti* 3), tot inſtancium negociorum tam uos quam nos inuoluti eramus perplexitatibus, cum et uos veſtrum exercitum et nos noſtrum dimiſſoria uellemus liberare licencia, multaque alia pre curioſis noſtris manibus verſarentur, ut pleraque de archiuo noſtre dilapſa memorie, que ueſtris erant neceſſario auribus inſtillanda, omiſerimus explicare. Et idcirco que tunc uobis uiue uocis oraculo non inſinuauimus, ad literarum confugientes remedium, que mittentis ſupplent abſenciam, *lingue* 4) officio miniſterio ſuccedente calami declaramus, tenore preſencium celſitudini Regie referentes, quod, *quamuis . . Ciuitas fuiſſet dıs bone memorie olim domine matris noſtre* 5), tamen uobis eam, poſtquam promiſimus, duximus aſſignandam, volentes promiſſionem noſtram, quam fecimus, inuiolabiliter obſeruare, nec minus ſperantes de veſtre manſuetudinis benignitate, quod nobis in ea maieſtas gratie fauoralis oculo blandius arridebit, quam emulorum noſtrorum opinio teneat, qui non dant nobis de veſtra gratia ſpem ſinceram. Nec ſolum in Egra confidimus uos nobis inuenire propicios, verum eciam ſpei certe freta preſidijs nobis indubitata dictat credulitas, quod municiones (*et*) Caſtra, que in Egrenſi habemus provincia, ad nos tytulo empcionis ſpectancia, nobis ius noſtrum conſeruabitis in eiſdem, tamquam qui actus ueſtros dirigitis, ut ſuo Jure quilibet gaudeat, prout debitum officij regalis aſciſcit. Inſuper ſicut *per priores noſtras literas* 6) aſſeruimus, ſic

eciam

eciam harum ſerie inculcamus, quod omnia, quecunque uobis promiſimus, obſeruacionis *ſtabilis* 7) conſtancia ſeruare uolumus, et execucionis efficacis ſtudio adimplere, ut non in modico noſtra eadem promiſſio uioletur. Nam *ciuitates* 8), quas habuimus, fecimus abſque tarditatis diffugio aſſignari, nec iam reſtant niſi Egra et Haymburch tantummodo aſſignanda, autumantes cuiuſlibet relegato ancipitis dubietatis ambiguo, quod et uos promiſſionem ueſtram non reddetis ab obſeruacionis limitibus alienam, et quod retractari faciatis omnia, que poſt ordinacionem concordie inter uos et nos ſpontaneis approbacionis conſenſibus *ſtabilitam* 9) attemptata ſunt enormiter et patrata, Ita quod Caſtra Pernek (*et*) Wykhartſlag, que preter firmacionem concordie de noſtrorum manibus hoſtiliter ſunt exempta, nobis indilate faciatis reſtitui, et ad manus noſtras iterum aſſignari. Nam dicta caſtra non debuerunt per uiolenciam a noſtra eximi poteſtate, et ſi (*quis*) aliquod ius in ipſis Caſtris habuerit, hoc mediante iuſticia proſequatur, et de ſpolijs, que ſimiliter firmata pace ſunt comiſſa in Morauia, ſatiſfieri, ſicut decet, Quia, ut uerum fateamur et certum, leuiter potuimus ſpoliatoribus eiſdem ocurrere, et ne huiusmodi ſpolia comitterent, ipſorum obſiſtentes conatibus obuiare, cum iam premuniti eſſemus de ſpolijs, et adhuc totum noſtrum exercitum haberemus. Sed nos correccioni veſtre celſitudinis reſeruantes, pocius volumus tamquam impotentes uiolenciam perpeti, quam potenter iniuriam propulſare, Ne fortaſſe ex parte noſtra pacis ordinacio corrupta in aliquo uideretur, que inobſeruata eſt in *Magiſtro vl. prothonotario noſtro* 10). Nam cum cautum eſſet expreſſe in forma compoſicionis, ne idem poſſeſſione Wiennenſis Eccleſie priuaretur, *tamen* 11) ſpoliatus exſtitit. Quare petimus, ut retractetur, et ſi poſtmodum ius aliquod *Epiſcopus Patauienſis* etc. 12). Preterea priuilegia noſtra ſuper approbacione promulgacionis arbitrij, ſicut veſtre patere poteſt magnificencie, uobis tradidimus, ſed veſtra, que nobis debentur, nondum ſunt nobis uicaria uiciſſitudine aſſignata. Et idcirco maieſtatis veſtre preeminenciam duximus attencius exorandam, quatenus nobis dicta priuilegia exhiberi faciatis, nec non et illa concedat, quibus rati contineatur habicio ſingularum et omnium libertatum ac iurium, quas et que progenitores noſtri Reges Boemie a predeceſſoribus veſtris Romanorum Regibus et Imperatoribus habuerunt, *pro . . nobis* 13) eadem priuilegia abſque more diſpendio tranſmittentes. Ad quod denique flexilem decet eſſe clemenciam, cum id ex nullius no-

uitatis primicijs recens fumat exordium, fed quafi prifcis actum temporibus antiquitatis cuiufdam pretendens fenium iuuenefcat. Significamus quin eciam uobis, quod quidam Ciues noftri per Boemiam mercacionis exercentes opera funt in Karinthia rebus fuis omnibus fpoliati. Ob cuius denique caufam rei Regalis manfuetudinem clemencie fimiliter deprecamur, quatenus dignetur hoc agere, ut ablata reftituantur eifdem, et de habundancioris gratie fecunditate ftatuere, ut omnes mercatores de terris noftris et omnes nuncij noftri, quos ad Romanam transmittimus Curiam, per illas prouincias tranfire fecure ualeant faluis rebus eorum omnibus et perfonis.

1) Cod. habet: *fponfalia.* Sed *fpolia* legendum effe, et tenor prefentium et immediate fequentium epigraphe docent.

2) Fere quælibet hujus epiftolæ pericope arguit, pauco poft ratificatum laudum concordiæ tempore eam fuiffe confignatam. Sequens, ejufdem fere argumenti et per eundem ac præfens, ut probabile eft, latorem Henrico Bavariæ Duci tradita, tempus adhuc propius determinat, ita ut omnino ad medium circiter Decembrem anni 1276 collocanda videatur. Vid. nota 4. ad epift. fequentem.

3) *eramus nuper in veftre maieftatis prefencia conftituti.* Id evenit die 25. Novembris 1276, qua feuda fufcepit a Rudolpho Cæfare Ottocarus teftibus literis inveftituræ apud *GOLDAST de Regno Boh. in append: document. num.* 20. *p.* 39., *Lünig. Corp. Jur. feud. T. I. col.* 553, *Lambacher* Oefter. Interregnum im Anhange *num.* 75. *p.* 114, itemque die 26. Novembris anni ejufdem, qua ambo Reges in caftris ante Viennam literas laudi ratificatorias fignarunt extantes apud *RAUCH* Oefter. Gefchichte *III.* B. *p.* 590.

4) Cod habet: *ligne.*

5) *quamuis . . Ciuitas fuiffet dos bone memorie olim domine matris noftre.* Civitatis nomen a fcriba fuppreffum Egra eft, quod manifeftum reddunt pericope paulo infra noftræ epiftolæ inferta, in qua nomen exprimitur, et contextus. Tenemus ergo titulum, Hiftoricis hactenus ignoratum, (Vid. *PUBITSCHKA* chron. Gefch. Böhmens *IV.* Th. *II.* B. *pag.* 345—348, *et RAUCH* Oeftetr. Gefch. *III.* B. *pag.* 622—625) ex quo Ottocarus Egram fibi vendicavit. Utrum prætenfus tantum fuerit, vel veritate nixus, aliis difquirendum relinquo. Mirum fane videri poteft, cur Bohemi teftibus Anonymo et Pulkava apud *DOBNER T. III. p.* 51 *et* 233 neceffe habuerint, primum anno 1265 vi occupare Egram, fi ea in dotem fuit tradita matri Regis Ottocari, Cunigundi, filiæ Philippi Suevi Cæfaris, quæ teftante Continuatore Cofmæ Pragenfis *T. I. S. R. Boh. p.* 368 *et* 369 jam anno 1207 Regi Wenceslao, Ottocari patri, defponfata et faltim jam anno 1228 matrimonio juncta fuit.

6)

6) *per priores nostras literas.* Videtur hic provocare ad illa præcedentis epistolæ verba: *uolentes in hijs et alijs quibuslibet uestre potencie complacere*, et cetera, quæ nuncio eam perferenti oretenus declaranda mandavit.

7) Cod. habet: *stabilitate.*

8) Cod. habet: *civitas.*

9) Cod. habet: *stabilita.*

10) *Magistro vl. prothonotario nostro.* Vlricum inter Regis Ottocari Notarios jam anno 1259 reperi in diplomate Monasterio Tischenovitz in Moravia dato XVI. Kal. Nov., quod extat in Collectione monumentorum diplomaticorum cl. Domini de Zlobiczky. Vocatur anno 1260 in *Diplomat. sacr. Styriæ* inter Runensia *num. XXIV.* [illegible] 26 *„Canonicus Frisingensis Notarius Styriæ“*; anno 1267 *„Notarius Plebanus in* [illegible]*artperch“* apud *HANTHALER Fast. Campilil. T. II. p.* 1048 *et LINCK Annal. Austrio-Claraval. T. I. p.* 404; anno 1268 *„Protonotarius Austriæ et Styriæ“* apud *HAMMERSCHMIDT Gloria eccl. Wissegrad. p.* 214; anno 1269 *„Protonotarius Magister Canonicus Pataviensis* apud *SCHRAMB Chronic. Mellic. p.* 148. et *HUEBER Austria ex Archiv. Mell. illustr. p.* 26. Post mortem Gerhardi Plebani Viennensis conatus fuisse videtur Ottocarus eum Viennensibus quoque Parochum obtrudere, obnitente tamen Episcopo Pataviensi, cui jus conferendi hanc ecclesiam competebat. Institutionem canonicam in ecclesia Viennensi vix unquam obtinuit, cum nunquam Plebanus Viennensis nominetur, immo anno 1275 Wernherus sive Bernhardus de Prambach *Plebanus de S. Stephano* dicatur, qui ecclesiam Viennensem usque ad an. 1285 tenuit. Cfr. *OGESSER* Beschreib. der Metropolitankirche zu St. Stephan in Wien S. 152 *et* 153.

11) Cod. habet: *tum.*

12) *Episcopus Pataviensis etc.* Truncatam per scriptorem sententiam redintegrandam esse censeo in hunc prope modum: *in eadem ecclesia habere prætenderit, id justitia mediante coram judice competente prosequatur.*

13) *. pro . . nobis.* Quod suppressit scriba, ita restituendum judico: *per protonotarium Vlricum.* Primum verbulum sensus, alterum literæ initiales, tertium adjuncta exposcunt. Duos fuisse circa hæc tempora Ottocaro Protonotarios, Magistrum Henricum, Plebanum in Gors, simulque Canonicum Pragensem, et Vlricum, quem jam novimus, innumera ostendunt diplomata. Posteriorem intelligendum reor. Hujus enim opara utebatur Ottocarus in tractatibus suis cum Rudolpho, ut videre est ex conventionibus die 6. Maji et 12. Septembris initis apud *GERBERT Cod. epist. auctuar. num. IV. V. et VIII. p.* 202—205 *et* 210. Hunc illum esse nuncium, puto, de quo epistola præcedens. Morabatur ex nuperna missione adhuc apud Rudolphum, non Domini tantum sui, sed sua quoque procurans negotia. Facile ergo per eum transmitti poterant privilegia petita.

XX.

Ottocarus intercessionem Henrici Bavariæ Ducis expetit ad obtinendam a Rudolpho retractationem contra pacem gestorum, simulque colloquium cum illo habere exoptat. 1276 Decembri circiter medio.

Inducitur precibus Dux Bauarie, ut spolia faciat retractari.

Cum firmiter habeat intencionis nostre propositum, vniuersa et singula, que Domino nostro Regi promisimus, inuiolabiliter obseruare, et credamus indubitabiliter, quod ea, que pro parte sua nobis ipse promisit, stabiliter obseruentur; Magnificenciam vestram attencius deprecamur, quatenus eundem Dominum nostrum Regem uelitis inducere, *ut* 1) singula, que irracionabiliter perpetrata contra nos fuerunt post firmacionem pacis et concordie inter dictum Dominum nostrum Regem et nos, dignetur facere retractari, et *Castra nostra* . . *et* . . 2), que post ipsius concordie consolidacionem sunt expugnata, nobis restitui faciat, et de spolijs, que similiter post concordiam firmatam in Morauia sunt commissa, satisfieri nobis faciat, sicut decet, quia nos ita leuiter cauere potuissemus, ne dicta spolia fuissent facta, sicut leuiter de manu nostra possumus deicere cirothecam, cum essemus premuniti, quod fieri eadem debebant spolia, et adhuc totum nostrum exercitum haberemus. Sed uolentes idem eiusdem Domini nostri coreccioni reseruare, pocius *elegimus* 3) violenciam perpeti, quam iniurias huiusmodi defensionis obice propulsare. Preterea, sicut credimus, uos *ante Natiuitatem Domini de Austria non recedetis,* 4) sed si post natiuitatem et ante Carnispriuium ad propria remeare intenditis, nobis id petimus declarari. Nam libenter uobiscum in metis regni nostri uellemus personaliter conuenire, vnde postquam ad partes remeaueritis Bauarie, tunc nobis significare uelitis, ut postmodum, si nobis facultas patuerit, inuicem colloquium habeamus 5).

1)

1) Cod. habet: *et.*

2) *Castra nostra . . et . .*, scilicet Perneck et Wykhartschlag, ut ex epistolæ præcedentis loco parallelo colligitur.

3) Cod. habet: *eligimus.*

4) *ante Nativitatem Domini de Austria non recedetis.* Liquet exinde datam fuisse hancce epistolam aliquot diebus ante 25. Decembris anni 1276, ad quem mensem ineuntem spectatis omnibus circumstantiis referenda sunt, quæ post pacis et concordiæ firmacionem irrationabiliter perpetrata fuisse perhibet Ottocarus. Merito proinde alligatur Decembri circiter medio. Ex dictis eruitur quoque tempus literarum præcedentium, quæ simul cum præsentibus expeditæ videntur.

5) *invicem colloquium habeamus.* Suspicionem hæc movent, Ottocarum jam tum de Henrico Bavaro, in quem tamen paucis abhinc mensibus tam petulanter invectus fuerat, ad suas iterum partes pertrahendo cogitasse, quod posthac revera evenisse testantur Chronicon Volcmari apud *OEFELE S. R. Boic. T. I. p.* 531, Salisburgense apud *PETZ S. R. A. T. I. col.* 376, Austriacum apud *FREHER S. R. G. T. I. p.* 472, et *RAUCH S. R. A. T. II. pag.* 270, Claustro-Neoburgense *ibid. T. I. p.* 112 et Lambacense *ibid. p.* 488.

XXI.

Ottocarus Cunigundi Reginæ dissvadet nimium ob amissas provincias Austriacas luctum, eamque hortatur ad æquanimitatem. 1276 Decembri medio.

Suadet Rex Domine Regine, quod (non) lugere debeat pro amissione terrarum Austrie, Stirie etc. 1).

Karissime vxori sue Domine Ch. Inclite Regine Boemie O. Dei gratia Rex Boemie Salutem et Spiritum fortitudinis in aduersis. Postquam sic nostris forsitan exigentibus meritis Accidit, vt terras amiserimus bellico sudore multique impensa sanguinis nobis partas, indulgere nos luctibus non oportet, sed *muliebribus* 2) procul querelis excussis nostra fatorum tole-

tolerenus equanimiter onera, ut, dum Regia maiestas posse non uidebitur infortunijs opprimi, et inimici se nobis obfuisse non gaudeant, et *circumsepti* 3) discrecione prudencie ac magnanimitatis vigere robore, quibus principum firmari debent solia, censeamur. Attendentes, quod errore ducuntur deuio, qui fortune sinistrantis instanciam lacrimosis eiulatibus querelantur; Sapienter uero faciunt, qui aduersus aduersa, quasi despicientes aspere fortune acerbitatem, consurgunt.

1) Præsentium tenor sufficienter indicare videtur, Cunigundem Reginam eo tempore de amissis per laudum Vindobonense 21. Nov. 1276 pronuntiatum provinciis Austriacis, vicissimque Ottocarum de querelis, a Cunigunde eam ob rem fusis, jam certiores factos fuisse. Id cum Rege in Austria, Regina vero in Bohemia degente, ante medium Decembrem vix fieri potuerit, ad hunc terminum illas refero.

2) Cod. habet: *mulieribus.*

3) Cod. habet: *circumspecti.*

XXII.

Ottocarus Boleslaum Calvum, Ducem Legnicensem, rogat, ne ditiones Henrici IV. Ducis Wratislaviensis, sui captivi, spoliis vexari sinat, insinuans, se pro complananda hac re aliisque negotiis legatos ad eum destinasse. 1277 Februario vergente vel Martio.

Ne terra Ducis Wratizlauiensis spolijs pregrauetur, Rogat Dominus Rex.

Tristis Rumor nostras nouiter peruenit ad aures, ex cuius acerbitate turbata sunt intrinseca mentis nostre, dum fama nunciante percepimus, quod

quod per quosdam malignos homines *Dominus H. Inclitus Dux Wratizlauiensis captiuus sit uestris manibus assignatus* 1), vnde licet propter ignare puerilitatis insciciam idem Dux uobis displicuerit in aliquo, tamen uos attencius deprecamur, quatenus fauorabiliter intercipere uelitis, ne per quempiam ipsius terra uel bona in aliquo pregrauentur. In quo quidem maxime beniuolencie gratitudinem nobis reputabimus exhibere, scientes, quod . . et . . ad uos duximus destinandos, ut tam super prefato negocio, quam pro alijs uobis pro parte nostra insinuent intencionem nichilominus et declarent.

1) ***Dominus H. — — captivus sit vestris manibus assignatus.*** Chronicon Poloniæ apud *SOMMERSBERG S. R. Siles. T. I. pag.* 12, et *DLUGOSSUS Histor. Polon. Lib. VII. edit. Francofurt. an.* 1711 *pag.* 809. item apud *MITZLER in Collect. histor. Polon. T. IV. pag.* 270, aliique scriptores Polonici et Silesiaci testantur, Henricum IV. sive Probum, Ducem Wratislaviensem, adolescentem, a Boleslao Calvo, Duce Legnicensi, qui amplitudini terræ Wratislauiensis invidebat, feria quinta post primam Dominicam Quadragesimæ, XII. Kalend. Martii, id est die 18va Februarii anno Domini 1277 nocturno tempore per subornatos homines ex lecto suo in arce Ieltsch fuisse abreptum, in castrum Lehen deductum, ibique in vincula conjectum, sed cooperante Ottocaro Rege Bohemiæ iterum libertati restitutum, non tamen sine terræ suæ dispendio. Ex quo facile eruitur, ad quem et quo circiter tempore Ottocarus præsentes dederit.

XXIII.

Ottocarus petit a Rudolpho, ut antiqui Bohemiæ limites illæsi conserventur, suo protonotario Ulrico ecclesia Viennensis reddatur, et servus suus a Cremsensibus captus libertati restituatur. 1277 Martio.

Pro certis metis terrarum et pro restitutione Ecclesie *Wienensis* 1) et pro captiuitate cuiusdam serui scribitur Regi Romanorum.

(E)xcellentissimo Domino suo etc.; Clemenciam uestram credimus in Recti statera iudicij sic ponderare singula, sic niti tramite racionis, ut ter-

terras nostras, quas a vestra gratia recepimus, et tenemus, non paciamini distrahi, sed ipsas proprijs distinctas modificatasque limitibus, nobis, ut nostris letemur iuribus, uelitis conseruare. Confidimus eciam de vestre mansuetudinis gratia, quod, licet alij forsitan uarijs sugillacionum comentis insinuent, quod nos, dum terram tenuimus Austrie, nostrarum terrarum confinijs eiusdem partem vsurpare fuerimus conati, uel addere, *tamen* 2) ipsis assensus non prebeatis faciles. Nam in ueritate dicimus, sic eandem terram Austrie possedimus, quod in nullo sit metarum suarum distinccionibus derogatum. Vnde sicut nec aliarum terrarum, que Regno nostro iacent contermine, terminos mendicare volumus, sic speramus de uestra benignitate, quod *limites terrarum nostrarum, quas a uobis tenemus atque recepimus, conseruentur illesi,* 3) et ut Regnum nostrum taliter distrahi non contingat. Illud enim quod *H. de weitra* 4) sibi uendicare conatur, certi asserimus et securissime profitemur, quod Ad Regnum nostrum pertinet, et tempore Ducis Leupoldi Auus noster, Tempore uero Ducis Friderici pater noster pacifice possederunt; nam mete Regni nostri usque ad illum *locum, qui . . dicitur*, 5) protenduntur, et id totum auus noster et pater noster, ut diximus, temporibus L. et F. Ducum Austrie 6) absque contradiccione aliqua libere tenuerunt. Qua de causa, quamquam prefatum *H. de* . . 7) prosequamur fauorabiliter et benigne, cum filius suus nostram habeat filiam in vxorem, tamen sibi tantum fauere nolumus, ut Regni nostri transcendat terminos, eodemque modo contingat idem Regnum dirimi, et ad alias partes trahi, et prebet spes nobis firmam de vestra benignitate fiduciam, quod uos eciam terras nostras nobis sic integraliter conseruare uelitis, ut permanentibus metarum distinccionibus nullius diminucionis auferesim paciantur. Preterea sicut pluries excellenciam uestram monuimus de Wyenensi Ecclesia *pro Magistro Vl.* 8), sic adhuc eciam uos monemus, petentes affectuose, quatenus eundem Magistrum Vl., de possessione Eclesie ipsius *in preiudicium concordie* 5) sic deiectum, dignemini facere retractari, nec non et quod nobis uestram super eo uoluntatem referare uelitis. Nam *multociens uobis scripsimus* 10), et nichil fuit adhuc pro parte uestri culminis denotatum. Ad hec nouerit uestra serenitas, quod, dum *seruus noster* 11) sub securitate *L. de Tyrnstein* 12) intenderet ad propria remeare, per Ciues de Cremsa detentus est, equis et rebus omnibus spoliatus. Quare vestram excellenciam deprecamur, quatenus id eciam retractari faciat,

et

et eundem seruientem nostrum iubeat restitui pristine libertati, ac eidem ablata restitui, equos et res alias qualescunque.

1) Cod. habet: *Wienensi.*

2) Cod. habet: *cum.*

3) *limites terrarum nostrarum — conserventur illesi.* Huic petitioni satisfactum fuit per conventionem 6. Maij 1277 initam apud *GERBERT Cod. epist. auctuar. num. IV. p.* 203, in qua expresse cautum fuit: „*metis Boemie, Morauie et Austrie in eo statu manentibus, quo tempore clare memorie Leupoldi et Friderici, Ducum Austrie, ab iisdem Ducibus sunt possesse*„. Hinc patescit, præsentes datas fuisse ante dictam conventionem, cumque ad ea, quæ hac conventione continentur, discutienda atque componenda Bruno Episcopus Olomucensis, sicut apparet ex nota 4. ad epist. XXX. jam sub initium Aprilis 1277 Viennam venisset, consequens est, illas etiam hunc Episcopi adventum præcessisse, adeoque in mensem Martium retrudendas esse, num ulterius? nota 10. docebit.

4) *H. de weitra*, id est Henricus senior de Weitra ex gente Chunringiorum, pater Henrici Chunringii junioris, Mareschalli Austriæ, qui filiam Ottocari ex obliquo Agnetem uxorem habuit. Vid. *instrumentum num. VIII. apud GERBERT l. c. p.* 211 *et nota* 1. *ad epist. XXXV.*

5) *locum, qui . . dicitur.* Dolendum, quod scriba loci nomen suppresserit, haud facile restituendum. Ad pernoscendos antiquos Austriæ atque Bohemiæ limites inservit decretum Friderici I. Imperatoris datum Magdeburgi Calendis Julii anno 1179, quo terminos controversos inter Liupoldum Austriæ et Fridericum Bohemiæ Duces ex consilio Principum definit, et diploma Friderici Bohemiæ Ducis datum anno 1185, quo Hadamaro de Chunringen partem terre sue, Austriæ adjacentem, in feudum concedit aput *RAUCH T. II. S. R. Austr. p.* 205 — 207. Ex hisce documentis dijudicare licet, Ottocari de finibus Bohemiæ assertionem non absque fundamento fuisse, quod absque dubio Rudolphum permovit, ut ejus petitionem de antiquis Bohemiæ limitibus haud coarctandis in pactione die 6. May inita absque contradictione admiserit.

6) *temporibus L. et F. Ducum Austrie*, id est Leopoldi VII. sive gloriosi et Friderici II. seu bellicosi, duorum ultimorum Austriæ Ducum e stirpe Babenbergica, Ottocari prædecessorum.

7) *H. de . . .*, supple: *Weitra.*

8) *pro Magistro Vl.*, id est Ulrico, Ottocari Protonotario, de quo abunde locuti sumus in nota 10. ad epist. XIX.

9) *In prejudicium concordie.* In laudo concordiæ pronuntiato die 21. Nov. 1276 expresse cautum fuit, „*quod magister vlricus Notarius, in Ecclesia wiennensi per Regem Boemie presentatus, Notarii, Capellani et alij Clerici, in terra Austrie, Sty-*

 rie

rie et alibi Ecclesias vel Ecclesiastica beneficia et possessiones alias obtinentes, contra jus nullatenus offendantur, possessione uel quasi preter juris ordinem spolientur„. Descripsi hanc pericopem ex opusculo parum noto, Sammlung einiger bisher ungedruckten oder aus Urschriften genau gezogenen Urkunden, als Anhang zu Adrians Rauchs österreichischer Geschichte drittem Bande Wien 1781. 8° num. XVIII. p. 50, quia apographum laudi apud *GERBERT l. c. num. II. p.* 201 in ea ipsa pericope admodum mendosum est. Quod et cur Ulricus, quamquam ei suffragatus sit laudi articulus, in possessionem ecclesiæ Viennensis non restitutus fuisse videatur, insinuavi in adnotat. 10. ad epist. XIX. Obstitit nempe Episcopus Pataviensis, qui præsentationem Ottocari suo juri contrariam existimans jam pridem alium in ecclesia Viennensi Plebanum instituit, licet hic, Ottocaro Austriæ Domino, fors possessione caruit.

10) *multociens vobis scripsimus.* Hæc et superiora verba: „*pluries excellenciam vestram monuimus de Wyenensi Ecclesia*„ exigere videntur, ut epistola præsens non ad anteriorem Martio mensem retrahatur; alias enim intervallum temporis pro pluribus illis literis nimis breve evaderet, cum Ottocarus prima vice hac de re Rudolphum monuerit per epistolam medio circiter Decembris anni 1276 datam. Cæterum ex iisdem verbis apparet quoque, plures Ottocari ad Rudolphum epistolas adhuc desiderari; nam ex iis, quas habemus, tantum duæ mox laudatæ Ulrici Notarii causam agunt.

11) *servus noster.* Nomen ejus suppressum a scriba videtur, licet id per puncta haud indicetur.

12) *L. de Tyrnstein.* Lege: *Lutoldus seu Leutoldus de Tyrnstein*, Pincerna Austriæ, ex genere Chunringiorum, qui passim in hujus temporis monumentis occurrit apud *GERBERT l. c. num. VIII. p.* 210, *HUEBER Austria ex Archivis* p. 28. *LINCK Annal. T. I. p.* 413. 414. 419. 423, Rauch Sammlung einiger — Urkunden *num XVI. et XIX. p.* 45 *et* 51, *WURMBRAND Collectanea p.* 304.

XXIV.

Ottocarus apud Rudolphum supplicat pro magistro Conrado Notario, ut ab obligatione propter captivitatem contracta liberetur. 1277 Majo exeunte vel Junio ineunte.

Vt liberetur captiuus.

Dilecti *fideles nostri . . et . . ad vestre presenciam maiestatis, ad quam miseramus eosdem nuperrime, reuertentes* 1) nobis inter cetera retulerunt, quod

quod ueftre clemencie benignitas graciofius fauerat et promiferat annuens, *ut Ch. de* . . 2) a fideiuffionis ligamine, qua propter captiuitatem fuam obligatus fuerat, redderetur liberaliter abfolutus. Qua de caufa veftram magnificenciam duximus attencius exorandam, quatenus attendentes benignius, quod *promiffi* 3) cuiuflibet execucio debet operis effe Comes, et deuocionem noftram equo librantes (*animo*), confiderantes eciam *concordie formam, per quam expreffe innuitur*, 4) ut omnes captiui ex utraque parte tam a captiuitatis laqueo quam a fideiuffionis vinculo dimitti debeant liberaliter abfoluti, predictum Ch. a debito, quod promifit, et obligauerat racione captiuitatis fue, abfolui dignetur facere veftre lenitas pietatis, precipue cum illo tempore, quo dictus . . captus fuit, de noftra effet familia, et nos non propter aliud accederet, nifi ut licenciam a nobis reciperet recedendi.

1) *Fideles noftri . . et . . ad veftre prefenciam Majeftatis — revertentes.* Teftante epiftola XXX. et nota 4. eidem adjecta circa initium Aprilis anni 1277 præter Brunonem Epifcopum Olomucenfem Zmilo de Belkav Baro, ac Magifter Ulricus Protonotarius pro reformanda pace tum vacillante ex parte Ottocari Rudolphum Romanorum Regem Viennæ acceffserant. Non longe, ut ex nota 3. patebit, poft firmatam die 6. May pacem, de qua vide inftrumentum num. IV. apud *GERBERT l. c. p.* 202, duo ex predictis nunciis, quemadmodum ex præfentibus liquet, pro aliis negotiis, quorum unum eædem nobis patefaciunt, denuo ab Ottocaro ad Rudolphum miffi funt. Cum probabile non fit, Brunonem Olomucenfem jam fenem firmata pace pro levioribus negotiis itineris difficultatibus porro fuiffe expofitum, duos illos nuncios ad Rudolphum reverfos Zmilonem de Belkav et Ulricum Protonotarium extitiffe autumo, qui igitur fub nominibus a fcriba fuppreffis delitefcunt.

2) *ut Ch. de* . . Legendum puto: *Chunradum de Wienna.* Nam cum eadem ipfa perfona, cujus nomen hoc loco non plene exprimitur, paulo infra de familia Ottocari fuiffe dicatur, ad eam vero, quemadmodum intelligere eft ex epiftola VI. et literis eidem in adnot. 1. fecundo loco fubnexis, recenferentur Notarii, per literas initiales *Ch.* denotari exiftimo *Chunradum Notarium, civem Wiennenfem*, de quo in laudo concordiæ apud *GERBERT l. c. p.* 201 fermo eft. Hic unacum Baltramo, Confule Viennenfi, Ottocari partibus tam firmiter adhæfiffe videtur, ut Ottocarus ejus fecuritati fpecialiter et nominatim in pace providendum duxerit. Cum igitur poftea docente epiftola noftra tamen Ottocarum accedere voluerit, denuo facile in fufpicionem venire et capi potuit.

3) Cod. habet: *promiffum.*

 4)

4) *concordie formam, per quam expresse innuitur.* Provocat hisce verbis absque dubio Ottocarus ad sequentem instrumenti pacis die 6. May 1277 reformatæ articulum: „*obsides et captivi, ab utraque parte ante pacem ordinatam, et post dati mutuo, et detenti, a proxima die dominica, nunc instante, infra quindecim dies debent restitui pristine libertati, ab omni prorsus obligacione, fidejussione, seu exaccione pecunie, indempnes penitus, et immunes*„ apud *GERBERT l. c. p.* 202. Liquet exinde, præsentem epistolam exaratam fuisse post 6. Maij anni 1277, attamen non longe post illam diem; cum sub initium epistolæ Ottocarus missionem nunciorum, qui ea die pacem reformarunt, *nuperrimam* vocet. Quare ultra finem Maji vel principium Junii non protendendam esse judico.

XXV.

Ottocarus Annam, Romanorum Reginam, Viennam venientem, salutat, utque sibi Rudolphi Regis benevolentiam comparet, rogat. 1277 Junio.

Suscipitur Regina Romanorum 1).

Affectus mentis, precipue qui de sinceritate beniuole dileccionis traxit originem, quadam sue virtutis potencia facere consueuit, ut ymaginarie non nunquam illas acciones exerceat, quas realiter homines operantur, Ita quod, licet quidam locorum interiecta distancia seiungantur, uniti tamen sint sinceritatis affectibus, et intellectualibus se inuicem amplectentur brachijs eciam, qui corporeis aspectibus alterutrum semouentur. Quare licet corporea seiuncti presencia uos, ut desideramus, suscipere uisibiliter non possimus, *In aduentu tamen vestro* 2) ac vestre Regie sobolis excepti quadam celebritate gaudij feriantes, uos una cum prole uestra, corpoream per affectum *supplentes absenciam* 3), reuerenter ac deuote suscipimus, maiestatem vestram attencius exorantes, quatenus cum singula uelimus facere, que Domino nostro Serenissimo Regi Romanorum Consorti

uestro

nestro fore sciuerimus placitura, ipsum uxorie dulcedinis inducere suadela dignemini, ut sue fauorali *serenitatis* 4) blandientes lumine dignetur prosequi graciose.

1) *Regina Romanorum*, scilicet Anna, Rudolphi Romanorum Regis uxor, de qua *Annales Colmar. apud URSTIS. P. II. p.* 14 ad an. 1277: „*Regina Teutoniae in Vienna recipitur*„.

2) *In adventu tamen vestro.* Quo mense, quave die anni 1277 Anna Regina Viennam advenerit, nullibi proditum legitur; determinari tamen tempus adventus utcunque potest. Testibus *Annalibus Colmariensibus* ad an. 1277 apud *URSTIS. P. II. p.* 13. „*Regina Teutoniae tempore Quadragesimae pluribus diebus cum sex tantum Dominabus in claustro Clingental morabatur. — Post Pascha Regina de Rinfelden proficiscens venit Constantiam, inde Bavariam. Sequebatur autem ipsam Henricus episcopus Basil. circa ascensionem Domini cum equis LXX*„. Festum ascensionis Domini anno 1277 cadebat in diem sextam Maji. Circa id tempus Annam Reginam adhuc Constantiae versatam fuisse probat diploma apud *HERRGOTT Geneal. diplom. Vol. III. num. DLXVIII. pag.* 471 ab ea„ *datum Constantiae anno Domini MCCLXXVII. VI. Non. Maii*„ id est die secunda ejusdem mensis. Si Rudolphus tunc bellum sibi ab Ottocaro instare credidisset, conjugem ad se haud vocasset. Taceo eo ipso tempore pacem cum Ottocaro novis tabulis apud *GERBERT Cod. epist. Rudolph. Auctuario num. V. pag.* 204 firmatam fuisse. Episcopus igitur Basiliensis hac vice non bellici subsidii ferendi causa cum manipulo equitum ad Rudolphum in Austriam profectus esse videtur. Verisimilius est, eum in mandatis habuisse, ut Reginae cum prolibus iter longum, illisque temporibus haud satis tutum, in Austriam facturae comitem se jungat ac protectorem. Quae si ita se habent, Regina demum post sextam Maji Constantia, ubi Episcopus Basiliensis eam convenisse videtur, movit, proinde ante finem ejusdem mensis Viennam attingere vix potuit. Sane Episcopus Basiliensis in pluribus diplomatibus a Rudolpho Viennae diebus Calendas Junii anni 1277 praecedentibus datis apud *MEICHELBECK Histor. Frising. T. II. P. II. num.* 133—145 inter testes nondum comparet. At in literis *Wienne IIII. id. Julii*, id est die 12 ejusdem mensis obsignatis apud *GERBERT l. c. num. VI. pag.* 206 Rudolphus ipse jam meminit„ *consortis nostre Karissime inpresenciarum ibidem existentis*„. Extat quoque apud eundem *GERBERT. l. c. p.* 245 ipsius Annae Reginae diploma„ *datum Wiennae VIII. Id. Augusti*„ anno 1277. Circa idem tempus etiam Henricus Episcopus Basiliensis testis legitur in diplomate, quod dedit Rudolphus„ *apud Viennam in domo Praedicatorum anno Domini MCCLXXVII. Kal. Augusti*„ apud *HERRGOTT l. c. num. DLXXII pag.* 474.

3) *supplentes absenciam.* Ottocarus probabiliter Oppaviae tum degebat. Vid. nota 5. ad epist. XXX. Nuncium ergo de adventu Reginae Romanorum Viennam non-

nonnisi post aliquot dies accipere, et præsentes ad eam exarare literas poterat, quæ proinde merito mensi Junio affiguntur.

4) *serenitatis*. Ita Codex. Sed legendum videtur: *serenitati*.

XXVI.

Ottocarus orat Rudolphum, ne Magistrum Henricum, Protonotarium suum, in possessione ecclesiæ parochialis in Gars vexari permittat. 1277.

Rogat Dominus Rex Romanorum Regem, *ut . . Plebanum* de . . 1) in possessione sue Eclesie non sinat agrauari.

De lenitate Regalis clemencie illa regnat in pectore nostro fiducia, quod precum nostrarum libamina benigne serenitas principalis exaudiat, nostris desiderijs condescendens, precipue cum pro causa racionabili eandem duxerimus deprecandam. Vnde cum dignum et iustum sit, et exequate dinoscatur esse consonum racioni, ut plebani, qui iam diu fuerunt in Ecclesijs quiete atque pacifice constituti, absque alicuius turbacione molestie in eisdem manere ualeant, diuinis obsequijs incumbentes, excellenciam uestram affectuosius exoramus, quatenus plebano . . sic Regie serenitatis fauor clementer eluceat, sic dignetur sibi sue benignitatis oculo arridere, ut idem in Ecclesia . nulla grauetur molestia, sed suam Eclesiam aspirante uestri muneris gratia possideat in tranquillo.

1) *ut . . Plebanum de . .* Lacunas a scriba relictas ita explendas esse puto: *Henricum Plebanum de Gars*. Non hic intelligendum esse Ulricum Protonotarium, quem Ottocarus testante laudo concordiæ ad ecclesiam Viennensem præsentavit, ac pro quo multociens se ad Rudolphum scripsisse memorat in epistola XXIII., sequentibus mihi persvasum est rationibus. Persona, de qua præsentes agunt, jam diu in quie-

ta et pacifica ecclesiæ suæ possessione fuit. Hoc de Ulrico ratione ecclesiæ Viennensis affirmari non potest, sicut ad epistolas XIX. num. 10, et XXIII. num. 9. adnotatum fuit. Illa in possessione ecclesiæ suæ tantum molestata dicitur; hic eadem penitus dejectus fuit. Rem denique conficere videtur alia epistola, non Ottocari, sed ipsius Henrici Plebani in Gars nomine ad Nobilem quemdam in curia Rudolphi Romanorum Regis multum valentem, cujus suffragium in hoc negotio expetitur, scripta, quæ extat in Codice nostro pag. 93 numero 87 notata, et est sequentis tenoris:

Rogatur . . Nobilis, ut aput Regem Romanorum pro Magistro H. (enrico) de Gors preces fundat.

Ardens habendi cupiditas tante curiositatis estibus plurimorum succendit mortalium pectora, ut quidam non solum, que licet, summis adipisci satagunt studijs, quin ymo persepius ad illicita instabilis (*insatiabilis*) pandunt cupiditatis hiatus, et dummodo facultatum copijs possint affluere, non uerentur proprie salutis inmemores eciam res uetitas corrogare. Quandoquidem dum sic aquirendi appetens incandit esuries, fit, ut inhoneste uicietur honestas, iuribus irrogentur iniurie, et frenis confractis modestie per noxie compita uiolencie discurratur: sequitur, ut iniquitas iustos opprimat, conturbet quietos, et silentes excitet querulos ad clamores, ut illorum presidium supplices inuocent, per quos quocunque modo excedentis iniquitas (*iniquitatis*) asperitas ualeat adequari. Sane incumbentibus michi validis molestijs et turbinibus, quos iniquitatum flatus, estu sitibunde cupiditatis conciti, generant indefesse, ad uos, pater et Domine, compellor non irracionabiliter nec indeuote recurrere, clamans ad uestre probitatis industriam, ut inuoluto procellarum fluctibus michi auxiliaris opem dextere prebeatis. Cessabit enim, si uolueritis tumultuose tempestatis acerbitas, et tumencium inundacio fluctuum residebit. Et quamuis nullum senciam michi posse meritum suffragari, ut uestre debeam presidium pietatis exigere, cum (*tamen*) confidencia de vestra benignitate, quam habeo, michi spem prebet audacie, sciens et securus existens, ut, etsi (*nec*) meriti alicuius ascissat premissio, nec obsequiorum uos preambula mouere ualeat aliquorum impensio, mouebit tamen uos gracia vestra gratis. Porro sicut vestra forsitan non ignorat discreccio, in Ecclesia mea in Gors et ipsius Ecclesie Juribus cottidianis impugnor molestijs, et quamuis eum (*eam*), sicut patens est, canonice sum adeptus, et ex auctoritate ordinaria Reuerendi in Xpo patris et Domini mei Domini P. venerabilis Episcopi Patauiensis in eadem Eclesia institutus, me tamen nituntur malisciosi homines inquietare multimode, tum occupacione ipsius Ecclesie, tum modis alijs grauioribus ac eciam nocumentis. Quare cum nouerim, uos sic per Dei gratiam in conspectu Serenissimi Domini nostri Regis Romanorum existere graciosum, ut non solum in hijs, verum eciam in multo maioribus opem possitis egentibus impartiri, vestram precor attencius pietatem, quatenus dignemini prefatum Dominum Regem inducere exhortatoria suadela, ut me non permittat in Ecclesia grauari predicta, sed bona destructa redintegrari mandet, et clementer iubeat restitui occupata, Scituri, quod ex hoc habebitis me ad singula uestra obsequia taliter obligatum, ut iuxta mearum valenciam virium, ubicumque et qualitercunque complacere uobis potero, exacte sedulitate diligencie satagam, et studebo, et nichilominus cum iustam promoueatis causam, a deo premium et aput homines consequemini multiplicium preconia tytulorum.

Si quæras, cur Magistrum H. Ottocari Protonotarium, appellaverim Henricum Plebanum in Gars, respondent diplomata ab Ottocaro data „*per manus Magistri Henrici Protonotarii Regni nostri et plebani in chors*„ anno domini 1274. VI. Kal. Decemb.

Decemb., vel „*per manus Magistri Heinrici Prothonotarii regni nostri et Plebani in Gors*" quinto Kal. Junii 1276 in den Abhandlungen der königl. Gesellsch. der Wissenschaften zu Prag auf das Jahr 1788 *pag.* 383 und auf das J. 1787 hist. Th. *pag.* 141. Nonnumquam mendose scriptum legitur: *plebani in Bors*, ut in diplomate dato septimo Kalend. May 1270 (rectius 1277) apud *DOBNER Mon. Bohem. T. VI. p.* 34. Preces pro Henrico apud Rudolphum interpositas, utpote pacis tenori apprime consonas, effectu non fuisse frustratas patet ex diplomate Rudolphi VI. Idus Maji 1280 dato apud *HANTHALER Fast. Campilil. T. II. p.* 1130, in quo adhuc occurrit *Henricus Plebanus in Gars*". Est autem Gars oppidulum Austriæ in circulo supra Manharti sylvam ad Cambum fluvium situm, horæ circiter intervallo a civitate Horna distans. Plura de hoc Henrico Protonotario vide in adnotatione ad epistolam XLIV. Lib. II. Tempus denique datæ præsentis epistolæ quod attinet, vix quisquam inficiabitur, eam ad decem anteriores anni 1277 menses, quibus literarum commercium Rudolphum inter atque Ottocarum viguit, pertinere; sed ut uni ex hisce mensibus præ altero eam alligem, nihil suppetit argumenti.

XXVII.

Ottocarus Capitulum generale ordinis Cisterciensis imperiose rogat, ut monasterium S. Coronæ ab omni nexu cum monasterio S. Crucis in Austria solvat, ac monasterio Plassensi in Bohemia subjiciat. 1277.

Ne Monasterium . . alteri Monasterio subiciatur extra Regnum.

Vestri honestas ordinis, diuicijs onusta virtutum et illibato comendabilis uite splendore diescens, cuiusdam singularitate gratitudinis sic semper nostris comparuit speciosa conspectibus, sic semper nostre micuit placida maiestati, ut pre cuiuslibet alterius religionis habitu nostrum sibi deuotum statuerit animum, ac affectus nostros erexerit prompcius ad retribucionis mercedem proinde cupite sperandum, non inargute argumento fidei colligentes, quod suis non orphanatur deuocio premijs, quam

erga

erga illos quis gefferit, quos (*tituli*) phalerant honeftatis. Et quidem, ne uelut *ocij* 1) grauidata fceleribus noftra infecunda delitefceret quodam torpore deuocio, quin pocius, ut exuberancioris mercedis premia *mereremur* 2) ac ex remiffionis indulgencia *noxe* 3) delerentur peccaminum, quas nobis de fragilitate carnis infcripferant motus fenfualitatis illiciti, per effectum operis manifeftauimus deuocionis affectum, et uota ipfius ad partus inuitauimus accionum. Nam ob beate virginis honorem et fanctorum Bernhardi et Benedicti reuerenciam *clauftrum ueftri ordinis in Regno noftro fundauimus* 4), ipfiusque largicionum noftrarum donarijs collatas ampliauimus et ampliare intendimus facultates. Quod quidem, ficut fieri confueuit in cuiuflibet noue plantacionis exordijs, ut ab antiquioris clauftri maturitate quafi cuiufdam nouelle dependet propaginis furculus, *Monafterio fancte crucis veftri ordinis etiam, quod iacet* (in) *auftria, duximus fubmittendum* 5), quatenus tenere magis etatis clauftrum inftitucionibus fenis informaretur emeriti, et uifitacionis reformidans increpantis virgulam, ad lineam (*difciplinae*) regularetur antique. Sed quia fide, qua nobis dudum tenebantur aftricti, nequiter in perfidiam permutata, ferenitatis auftrum in aufteri nothi nubila conuerterunt *auftrales, et a loris noftri moderaminis, fe nimis procaciter, quin pocius infideliter eximentes, colla fua iugo alterius dominij fubmiferunt*, 6) ficque fue contra nos erexerunt proterue rebellionis calcaneum, quod iam non fit tutum nobis, ut illius patrie homines in Regno noftro aliquid facere habeant, affequantur honores, uel dominio preferantur, feu quod abbas de ipfa provincia in noftro inftituatur Monafterio, uel poteftatis alicuius preeminencia quifquam auftralis in terris noftris debeat prerogari, affectuofe depofcimus, quatenus *noftum* 7), quem erga ordinem veftrum gerimus, zelum prudenter attendentes, idem noftre fundacionis monafterium alteri ueftri ordinis *Monafterio in Regno noftro locato, uidelicet in Plaz, fauorabiliter et ex fpeciali gratia fubmittatis* 8), facturi nobis rem gratam admodum et acceptam, et affectum magne beniuolencie oftenfuri, fi noftrarum precum libamina, tante deuocionis ac racionis innixa prefidijs, optato dignabimini effectui mancipare, precipue cum illud monafterium de Plaz, cui fubmitti rogamus prefate fundacionis noftre clauftrum, (*de*) *veftri* 9) profeffione ordinis cenfeatur, Nec illud a Monafterio fancte Crucis in *auftria* 10) occafione malicie Abbatis uel Monachorum ipfius eximi petimus, cum ijdem abbas et Monachi probitatis et difcreccionis do-

tibus redimantur, Sed quia *intendimus vniuersaliter eximere Regnum in suis membris singulis a potestate uel dominio cuiuslibet australis* 11), ne in ipso uel eius partibus australis aliquis prerogetur, idcirco id duximus a uestra prouidencia non improbe postulandum, Scientes, quod ab hoc de liberalitatis nostre munificencia prefata fundacio amplioribus proficiet incrementis, alias autem, quod non confidimus, si uestra discrecio exaudicionis sue ianuam nobis tam iuste pulsantibus nollet ad nostrarum precum instanciam reserare, scire de certo uos uolumus, quod proinde sedis apostolice, que nostris non consueuit obsurdescere precibus, impulsabimus clemenciam, uel sic aliter disponemus, ut omnia nostra desideria compleantur.

1) Cod. habet: *ocijs*.

2) Cod. habet: *merearemur*.

3) vel *note*. Cod. habet: *nece*.

4) *Claustrum uestri ordinis in Regno nostro fundavimus*. Consentiunt Chronica Bohemica, *FRANCISCI T. II. S. R. B. p.* 23, *Ducum et Regum Bohemiae* apud *DOBNER Mon. Boh. T. III. p.* 36, *NEPLACHONIS ibid. T. IV. p.* 113, *Aula regiae ibid. T. V. p.* 31 ab Ottocaro Rege fundatum fuisse Ordinis Cisterciensis monasterium ad sanctam sive spineam Coronam. Videatur quoque ipsum diploma fundationis apud *SOMMERSBERG S. R. Silesiac. T. I. p.* 926. Nomen suum, teste Anonymo Leobiensi apud *PETZ S. R. A. T. I. col.* 852, Coenobium hoc tulit a spina Coronae Domini, quam Ottocarus magnis precibus a Rege Franciae impetravit, quaque fundationem suam decoravit. Postea aurea Corona, vulgo Gulden-Cron, dici consvevit sive a ditissima fundatione, sive ab alia singulari circumstantia, quam refert *DUBRAVIUS hist. Boh. L. XVII. p.* 138.

5) *Monasterio sancte crucis — duximus submittendum*. In monasterium S. Coronae coloniam unacum primo Abbate Henrico ex monasterio S. Crucis in Austria ad petitionem Regis Ottocari introductam fuisse testantur Chronica Austriaca ad an. 1263, *PALTRAMI seu VATZONIS apud PETZ S. R. A. T. I. col.* 715, *Austr.* apud *RAUCH S. R. A. T. II. p.* 252, *Claustro-Neoburg.* apud *PETZ T. I. col.* 464 et apud *RAUCH T. I. p.* 95, *Leobiense* apud *PETZ l. c. col.* 827. Erat ergo S. Corona filia S. Crucis, et vel ideo matri subjecta.

6) *australes — colla sua iugo alterius dominij submiserunt*. Haec verba satis indicant, epistolam scriptam fuisse amissa jam per laudum concordiae Vindobonense de 21. Nov. 1276 Austria. Residuo tamen hujus anni eam haud affixerim; vix enim Ottocarus, tot aliis negotiis tum distentus, de ejusmodi minutiis, ut est exemptio monasterii a subjectione aliena, cogitare potuit.

7)

7) Cod. habet: *vestre.*

8) *Monasterio — in Plaz — submittatis.* Narrat *PUBITSCHKA* chronologische Geschichte Böhmens *IV* Th. *II.* B. *p.* 335 ex diplomate Regis Wenceslai II., qui Ottocari filius atque successor fuit, anno 1284 dato, mihi non viso, verisimiliter adhuc inedito, Regem Ottocarum a Capitulo generali ordinis Cisterciensis postea impetrasse, ut monasterium S. Coronæ non amplius monasterio S. Crucis, ex quo primos colonos suscepit, sed monasterio Plassensi subderetur. Idem, chronologia tamen nonnihil turbata, refert *SARTORIUS in Cistercio bis tertio p.* 1005.

9) Cod. habet: *vestra.*

10) Cod. habet: *austrum.*

11) *intendimus vniuersaliter eximere Regnum — a potestate vel dominio cuiuslibet australis.* Talia meditans Ottocarus nondum in animum induxit, terras Austriacas resumptis armis vindicare. Id vero consilii eum jam çepisse mense saltim Novembri anni 1277 plura indicia produnt. Igitur epistola hæc uno ex prioribus decem ejusdem anni mensibus exarata fuit.

XXVIII.

Ottocarus grates agit Rudolpho de promissa pacis servacione, eandem repromittens, simulque petens, ut pro ea firmius stabilienda principes ad hoc destinatos excieat, quibus literas securitatis offert. 1277 Septembri circiter medio.

Significat Rex cum gratiarum accionibus, se pacem velle obseruare iuxta formam promissi.

Serenitati Regie cum multiplicibus graciarum accionibus inclinamus de affectu beniuolo, quo nos prosequimini, cuius gratitudinem nobis *per* . .

 de

de vestra redeuntes 1) presencia *nunciastis* 2), In eo uidelicet quod, sicut per eosdem nostra patenter auris exhausit, vultis et intenditis pacis federa nobiscum contracta inuiolabiliter obseruare. Et quidem mens nostra non fluctuat, sed firme spei anchore innitentes procul dubio credimus, ymo scimus, quod uos, sicut eisdem nobis significastis nuncijs, ut inuiolata seruetur pax et concordia, curam dignabitur sedulam adhibere. vnde indubitate scientie certitudine noueritis per presentes, quod nos eandem pacem studiose obseruare curabimus, et operose intendere uolumus, ut permaneat incorrupta, Ita quod *in iuribus omnibus, secundum quod ea nostri predecessores in suis habuere hominibus et terris, sine diminucione aliqua conseruemur* 3). Et ut tanto clarius intencionis nostre propositum circa pacis obseruanciam uobis euidencius enitescat, Ecce petimus, ut vestris rogare dignetur literis *principes vestros . . et tales et nos Dominum . Olomucensem Episcopum requiremus* 4), ut ipse illuc uenire debeat, quod per eundem ad inuencionis discrete formam prefate pacis et concordie vinculum striccius firmioribus *stabiliatur* 5) roboris ligaturis, quatenus sic stabilita deinceps indissolubilis maneat, et exinde tam nobis, quam uobis quies (et) tranquillitas ociosa consurgat. Quod si aliquis de prefatis principibus ad nos uenire sine securitatis cautela forsitan *tytubaret* 6), nos ne huiusmodi retardetur negocium, eidem plenam securitatem prestabimus, ut ad nos uenire atque a nobis discedere ualeat, saluis et securis eius rebus et ipsum comitancium omnibus et personis.

1) *per . . de vestra redeuntes presencia.* Rediisse dici poterant de Rudolphi præsentia Fridericus Burggravius de Nürenberg, et Comes de Fürstenberg, anno 1277 mense Augusto et Septembri teste epistola XXX., notaque 6. eidem subjecta iterato ad Ottocarum Pragam venientes. Inde palam fit, horum nunciorum nomina per scribam suppressa esse restituenda, epistolamque ad tempus iteratæ eorundem nunciorum missionis, consequenter ad mensem Septembrem referendam.

2) Cod. habet: *nuciastis.*

3) *in juribus omnibus, — conservemur.* Sunt hæc fere verba alterius ratihabitionis pactorum die 6. Maij initorum, quam Ottocarus edidit Pragæ die 12. Septembris 1277 apud *GERBERT l. c. p.* 210. Inde colligitur, præsentes illa ratihabitione non esse anteriores.

4) *principes vestros . . et tales, et nos — Olomucensem Episcopum requiremus.* In dicta ratihabitione apud *GERBERT p.* 212 ait Ottocarus: *„Preterea quicquid*

quid infra Epyphaniam domini Herbipolensis, et supradictus Olomucensis Episcopi, et illustres principes dominus L. Comes palatinus Rheni, Dux Bauarie, dominus Otto, Marchio Brandenburgensis predicti, H. Lantgrauius Hassie, et dictus F. de Nuremberck — pro solidiori et utiliori amicicia, et concordia firmiori, inter dictum dominum nostrum Regem et nos invenerint, similiter dictus dominus noster Rex et nos tenebimur inuiolabiliter observare". Manifestum est ex his, quomodo restituenda sint nomina, quae scriba epistolae omittenda duxit, confirmanturque simul ea, quae de tempore datarum praesentium nota praecedenti innuimus. Pensatis omnibus circumstantiis dicendum est, eas ab Ottocaro vel Friderico Burggravio Norimbergensi et Comiti de Fürstenberg, post extortam ab illo ratihabitionem alteram de die 12. Septembris ad Caesarem redeuntibus, ad perferendum fuisse traditas, vel saltim paulo post missas. Igitur mensi Septembri circiter medio alligandae veniunt.

5) Cod. habet: *stabilitatis*.

6) Cod. habet: *tytubarent*.

XXIX.

Ottocarus apud Rudolphum Romanorum Regem intercedit pro Henrico Priczlino, aliisque suis servitoribus, ne vexentur. 1277 Octobri ineunte.

Ne homines sui grauentur, Rogat Rex.

Significauit nobis *H. Priczlinus* 1), et nonnulli eciam alij seruitores nostri ad nostram audienciam protulerunt, quod in bonis et possessionibus eorum grauantur, indebite molestantur frequenter, et ipsis inferuntur iniurie. Eapropter serenitatem Regiam sub ea confidencia, quam de uobis gerimus, attencius duximus exorandam, quatenus efficaciter mandare dignemini, ut tam dicto H. quam alijs seruitoribus nostris nulla in bonis ipsorum grauamina uel iniurie irrogentur, restituantur eis ablata, et deinceps nichil penitus inferatur, dignantes clementer uestre mansuetudi-

nis

nis fauorem nobis in eo taliter demonſtrare, ut tam nobis quam alijs clareat, qua dileccionis ſpecie ueſtra nos proſequatur celſitudo, et ijdem ſeruitores noſtri ex noſtre peticionis inſtancia ſe comodum ſenciant reportaſſe.

1) *H. Priczlinus* ſeu *Prunzlinus*, ut vocatur in epiſtola ſequenti, videtur filius eſſe Henrici vel Bernhardi Prewſsl, fratrum et celebrium Friderici bellicoſi ultimi ex ſtirpe Babenbergica Auſtriæ Ducis Capitaneorum. Vid. *HORNECK apud PETZ T. III. p.* 74 *et ſeq. et HASELBACH ibid. T. II. col.* 723. Eorum enim nomen in diplomatibus apud *DUELLIUM Hiſt. ord. Teut. P. III. num. VI. p.* 55 et in *Diplomat. Sacr. Styriæ inter Seccovienſia num.* 85. *p.* 288, nec non in Chronicis citatis et mox citandis, etiam ita expreſſum lego: *Pruſcelo*, *Praunſelinus*, *Preuſl*, *Pruzelo*, *Pruzlo*, *Pruezlo*, *Prauzlo*. Bernhardi poſt an. 1265 nullam amplius memoriam invenio; ejus tamen proſapia teſte *HASELBACHIO l. c.* demum ſuo tempore, id eſt ſeculo decimo quinto defecit. Henricus anno 1267 cecidit teſtantibus Chronicis Clauſtro-Neoburgenſi apud *PETZ T. I. col.* 465, Leobienſi *ibid. col.* 830, alio Clauſtro-Neoburgenſi apud *RAUCH T. I. p.* 106 et Auſtriaco *ibid. T. II. p.* 255 ad hunc annum. Nichilominus in diplomate anni 1268 apud *LINCK Annal. A. Clarevall. T. I. p.* 386 inter teſtes occurrit *Heinricus Prüſslo*, quem omiſſa ſcribæ oſcitantia litera *r* D. *Heinrici Puzlonis* nomine generum ſuum dicit Otto de Fero in charta data anno 1275 apud *DUELLIUM l. c. num. X. p.* 56. Cenſendus eſt igitur hic Heinricus Prüſslo vel Pruzlo fuiſſe filius Bernhardi vel ſenioris Henrici Pruzlonis anno 1267 cæſi.

Quod tempus datæ hujus epiſtolæ adtinet, initium Octobris anni 1277 id eſſe puto. Nam ſub finem Octobris ejuſdem menſis et anni Ottocarus jam reſponſorias a Rudolpho acceperat, ex hisque intellexerat, plenam H. Prunzlino juſtitiam procuratum iri, modo ipſe quoque de ſe querelantibus juris exhibeat talionem, quemadmodum fidem facit epiſtola ſequens circa finem.

XXX.

XXX.

Ottocarus prolixe declarat, Witegonides pace cum Rudolpho inita non comprehendi, huncque rogat, ut jus ſuum in eos ſibi illæſum ſervare velit. 1277. 31. Octobris. Adnexum eſt Vidimus quatuor Germaniæ Epiſcoporum.

Ottocari Bohemiæ Regis ad Rudolphum Rom. Regem literæ cum Vidimus ſeu teſtimonio plurium Epiſcoporum, Germaniæ Principum 1).

Nos Bertoldus Babenbergenſis, Petrus Patavienſis, Johannes Chyemenſis, et Wernhardus Secouienſis, Eccleſiarum Epiſcopi - - - profitemur: Illuſtris domini O. Boemorum Regis litteras, ſereniſſimo domino noſtro Rudolfo Romanorum Regi directas uidiſſe et audiuiſſe, tenorem hujusmodi continentes.

Excellentiſſimo domino ſuo, domino Rudolfo glorioſo Romanorum Regi ſemper Auguſto O. dei gracia Bohemorum Rex, debitam et paratam ad obſequia voluntatem. *Pro negotiis Witegonidum et aliorum ſervitorum veſtrorum Boemorum* 2) veſtrarum accepimus continenciam litterarum, quos quidem, quos veſtros dicitis ſeruitores, a prima, cum veſtra Celſitudine coram principibus apud Danubium concordia inita, numquam incluſos ſcivimus veſtre paci. Quam utique ordinatam inter vos et nos, et per principes ſtabilitam ſeruauimus, et ſeruare intendimus pro tempore uite noſtre. — — — — 3). Porro poſtmodum, *cum dominum B. venerabilem Olmunzenſem Epiſcopum, Zmilonem de Belkaw Baronem, ac Magiſtrum vlricum Notarium, fideles noſtros, ad veſtram Magnificenciam pro hijs, que ad pacem fuerant, miſeramus* 4), nullatenus aſcenderat in cor noſtrum, quod debuiſſent aliqui de noſtris terrigenis,

nis, et hiis maxime, qui nobis fidelitatis homagio sunt astricti, quorum eciam prosapia per nullum modum excepcionis a nostrorum progenitorum obsequiis pariter atque nostris excipi potuit, vel aliqualiter segregari, paci vestre aut ordinacioni, sub aliquo pretextu concordie, intercludi, et siqui sunt illi, quorum mediantibus tractatibus, eciam sub priuilegiis vel quibuscunque instrumentis, sit hec interclusio procurata, hii transgressi fines mandatorum nostrorum, sine tocius nostre consciencie puritate, hec poterant attemptasse, licet prefatis nostris terrigenis, qui se contra nos erexerant infrunite, ex regali benignitate admiserimus misericorditer et benigne, quod usque ad terminum, in quo super articulis quibusdam inter vos et nos per principes debebant aliqua declarari, medio tempore nostre pacis intuitu, sub treugarum commodo sederent pacifice et quiete. Et ecce ut in predictis omnibus nobis veritas suffragetur, ex euidentibus poteritis colligere argumentis. Nam *domino F. viro nobili Burcgravio de Nurenberg, apud nos in Opavia constituto* 5), inter singulas gracias, quas per ipsum a vestra excellencia sine lesione Imperij petebamus, hoc precipuum et magis gratuitum nobis petiuimus, ut seruitores nostri intacti a corpore Regni nostri, nobis et nostris heredibus integraliter remanerent, quolibet scismatis ad personam aliam scrupulo relegato, ac demum eodem *domino F. Burcgravio de Nurenberg, cum domino viro nobili Comite de vurstenberg, ad nos iteratis vicibus veniente Pragam* 6), eiusdem intencionis fuimus sicut prius. Ita quod ad omnia tenenda pro statu concordie inter vos et nos, ac amicabilis vnionis nos astrinximus iuramento, Excipientes pleno ore, principaliter atque primo, quod nostri homines cum nostrarum terrarum Juribus, nobis remanerent integri, et non scissi. Verumptamen illos, qui erga nos excessisse abusione qualibet videbantur, omni dicebamus vestri intuitu nos velle et debere prosequi gracia et fauore, nostre gracie gremio perpetuo reassumptos, Ita quod de ipsorum excessu nulla deinceps apud nos perpetuo, ad vestre peticionis instanciam, mencio haberetur. Quare adhuc serenitatis vestre beniuolenciam, omni et deuota precum instancia suppliciter exoramus, quatenus circa nostros homines omne ius, quod nostri progenitores hactenus habuerunt, nos habere velitis illesum, Non attendentes sinistras persuasiones aduersariorum nostrorum, qui condicionem nostram, et nostrorum heredum uellent multipliciter vulnerare. Non enim admisimus, ut superius tetigimus, quod tales composicioni pacis vestre per quoscunque

que

que inclufi fuerint, quod fi fecus extitit ordinatum, ad id fciatis nos nihil noftre confciencie vel confenfus aliqualiter preftitiffe, de veftra benignitate firmam fpem et confidenciam retinentes, quod condiciones Jurium noftrarum terrarum, que a noftris progenitoribus usque ad nos deducta funt, ampliare quam debilitare pocius debeatis. Prefertim cum fimus vnum de membris Imperij, in cuius debilitate non accrefcere, immo decrefcere Imperio magis poteft. Ceterum ut H. Prunzlino, in cauffis de poffeffionibus fuis, plena iufticia veftris iuffionibus procuretur, pro gratiffimo reputamus, Quem libenti animo deftinabimus, ad profequendum et affequendum fue iufticie complementum. Dignum eciam eft, quod idem H. de fe querelantibus iuris exhibeat talionem. Datum in Podiebrad 11. Kalend. Novembris.

In teftimonium predictorum nos Epifcopi fupradicti, prefcriptum tenorem de predicti domini O. Boemorum Regis litteris, quas vidimus et audiuimus, transcribi mandavimus, et figillorum noftrorum munimine roborari. Datum *apud Heimburgam iij° Idus Nouembris* 7).

1) Præfentes non extant in Codice Mspto, ex quo cæteras defumpfi. Communicavit eas mecum amicus anno priori defunctus Adrianus Rauch, presbyter e fcholis piis, vir in hiftoria patria facile verfatiffimus. Unde ipfe habuerit, indicavit Oefterr. Gefchichte B. *III. p.* 639 *et* 648, cum fragmenta earundem narrationi fuæ infpergeret.

2) *Pro negotiis Witegonidum et aliorum fervitorum veftrorum Bohemorum.* Ad illuftrationem hujus loci pertinet, quod narrat Continuator Cofmæ Pragenfis *T. I. S. R. Boh. p.* 422 ad an. 1276: „*Eodem anno Vitkonides cum ingenti militia receffserunt a Rege, et multa mala per regnum Bohemiæ pauperibus et clauftralibus intulerunt, et eo tempore rex nimium eorum auxilio indigebat*". Ex eo fua haufiffe videntur Pulkava apud *DOBNER T. III. p.* 237 et Hageck *p.* 436, idem factum quoque ad an. 1276 referentes. Verum cum Continuator fupra dictus in fua Chronotaxi circa hæc tempora haud fe fatis accuratum exhibeat, unitas forte addenda et factum in annum fequentem rejiciendum erit. Witekonides tefte *BALBINO Mifcell. Decad. II. L. I. p.* 98 et *Epitom. L. III. cap. XV. p.* 285 ramus erant ampliffimæ in Bohemia familiæ de Rofis, et quidem illi, qui rofam auream in fcuto gerebant, dicti etiam de nova domo. Ottocarus ipfis Wsk et novam domum abftulit tefte *NEPLACHONE* ad an. 1277 apud *DOBNER T. IV. p.* 115. *et PETZ T. II. col* 1034.

3) Ita in apographo, quod in manibus habui. Si per lineolas, quas cernis, non innuitur, aliqua hic deeffe, quæ leguntur in originali mihi nunquam vifo, non

 ulti-

ultimam hanc esse credo Ottocari ad Rudolphum epistolam. Colligere enim mihi videor ex epistola XIX. *L. II. Cod. epist. Rudolph. apud* **GERBERT** *p.* 84., Rudolphum ab Ottocaro in ultimis ante ruptam pacem literis haud obscuris verbis perfidiæ fuisse insimulatum, quod valde pupugit Regis animum, cujus in servandis promissis fides postea in proverbium abiit. Miror valde, qua ratione Gerbertus hasce Rudolphi responsarias ad annum 1275 retrahere potuerit. Nullum prostat vestigium commercii literarum inter Rudolphum atque Ottocarum ante initam mense Novembri anno 1276 concordiam præter narrationem *Antiquitatum Variloqui* apud **MENCKEN** *T. II. col.* 489, scriptoris minime supparis, ex male intellectis Chronici Erfurdensis verbis apud *eundem T. III. col.* 287 consarcinatam, et relationem Chronici Australis apud **FREHER** *T. I. p.* 470 fabulam redolentem. Perfidiæ insimulatio pactum initum supponit. Verba denique Rudolphi: „*cum multo graviores injurias, si recolitis ante hæc tempora tolerarim a vobis*" non ad annum 1275, quo ab iisdem injuriis Ottocarus nondum abstinuit, dictas literas referri sinunt. Totus igitur adstipulor sententiæ **LAMBACHERI** Oest. Interreg. *p* 209 et *Adriani* **RAUCH** *l. c. p.* 650 easdem tempori, quo alterum bellum inter utrumque Regem gliscebat, alligantium.

4) *cum dominum B. venerabilem Olmunzensem Episcopum — ad vestram Magnificenciam pro hijs, quæ ad pacem fuerant, miseramus.* Id jam sub initium Aprilis anni 1277 factum est. Bruno enim Episcopus Olomucensis cum aliis Episcopis elargitus est ecclesiæ ordinis Teutonici in Bergen indulgentias per diploma „*datum Viennæ VII. Idus Aprilis*" 1277 apud **LUDEWIG** *Reliq. Mspt. T. V. p.* 123. Pax per nominatos supra in contextu legatos firmata et reformata fuit die 6. May, et eadem die ab Ottocaro Viennam veniente ratihabita. Vid. *instrumenta apud* **GERBERT** *Cod. epist. auctuar. num. IV et V. p.* 202—205.

5) *domino F. — Burcgravio de Nurenberg apud nos in Opavia constituto.* Quo circiter tempore anni 1277 Ottocarus Opaviæ versatus fuerit, ex sequentium adjunctorum combinatione intelligere licet. Die 6. May, ut ex nota præcedente patet, Viennæ fuerat; die vero 12. Septembris, ut ex nota subsequenti elucescet, Pragæ, ubi eadem die novam pactorum supra allatorum ratihabitionem in iis nonnihil immutantem signavit. Ante hanc signationem, quemadmodum contextus epistolæ docet, Fridericus Burggravius de Nürenberg et Comes de Fürstenberg iteratis vicibus ad ipsum Pragam venerunt, atque cum eo tractarunt. Ad iterationem horum itinerum Vienna Pragam, tractatuumque Pragensium profecto Augustus integer et 12 anteriores Septembris dies requirebantur. Igitur sub finem Julii aut initium Augusti Ottocarum jam Pragæ oportuit esse, consequenter pro commoratione ejus in Opavia, quæ tractatus Pragenses præcesserat, ratihabitionem vero Viennæ factam testante epistolæ præsentis tenore secuta est, nonnisi dimidium Maji posterius, mensesque Junius ac Julius remanent. Quid vero Ottocarus Opaviæ egerit, colligi posse videtur ex iis, quæ refert Chronicon Claustro-Neoburgense apud **RAUCH** *T. I. p.* 111. ad an. 1277: „*Primizlaus uel Otakarus et Duces tocius polonie circa metas suas pacifice convenientes, de auxilio sibi mutuo prestando fedus iuramentis prestitis inierunt*".

6)

6) *Domino F. Burggravio — cum domino de vurstenberg — veniente Pragam.* Ante finem Julii hosce legatos Pragam vix abiisse concludo ex literis Rudolphi die 12. Julii 1277 datis fœderi inter ipsum et Ladislaum Hungariæ Regem inito insertis apud *GERBERT l. c. num. VI. p.* 206, in quibus Rudolphus ait: *„solempnes nuncios nostros ad dictum Regem Bohemie, cum nunciis Regis Hungarie, transmittemus, per quos ipsum admonere curabimus"*. Exspectandi igitur erant post 12. Julii adhuc legati Hungariæ, simul Pragam profecturi, qui fors non venerant, nulla de iis extante memoria, iter certe Cæsareorum retardarunt. Per hos tamen, postquam iterato Ottocarum Pragæ adiissent, jam mense Septembri res eo deducta, ut is alteram pactorum die 6. Maji initorum ratihabitionem ederet datam *„Prage anno domini Millesimo CC° septuagesimo septimo, pridie Idus Septembris"*, quam vide sis apud *GERBERT l. c. num. VIII. p.* 209.

7) *apud Heimburgam iij° Idus Novembris*, id est die 11. Novembris anni 1277, quo tempore Rudolphus conventum solennem cum Ladislao Rege Hungariæ Haimburgi celebravit teste Historia Austr. ad an. 1277 apud *FREHER T. I. p.* 471.

XXXI.

Ottocarus subditis injungit, ut extemplo ad obsidionem castri accedant, omnibus necessariis instructi. 1277 Novembri.

Mandat Rex subditis, ut statim ad expedicionem castri se conferant necessariis expediti 1).

Districte uobis precipiendo mandamus sub obtentu nostre gratie firmiter iniungentes, quatenus ad obsidionem Castri . . uos conferre statim uisis presentibus debeatis, omnibus necessarijs expediti, diligencius procurantes, ut per effectus operum ostendat se nobis commendabilem fides uestra, et nos proinde inducamur ad prosequendum vos maioris dulcedine gratie et fauoris.

1) Epistolam hanc non referendam esse reor ad bellum Hungaricum anno 1271 gestum, cum eo tempore Henricus de Isernia nondum Regis Ottocari Notarius fuerit, licet constet, eum jam antea verisimiliter vice Henrici Protonotarii Regii,

qui illum in Bohemiam advenam primus fusceperat, maximeque foverat, viceque Petri Cancellarii aliquas nomine Ottocari vel ad ipsum literas exaraſſe, quas tamen ſine neceſſitate et probatione multiplicare non licet; nec ad bellum anno 1273 Hungaris illatum, cum ejusdem anni Auguſto et Septembri menſibus, quibus Ottocarus caſtris Hungaricis obſidendis occupabatur, Henricus de Iſernia Bononiæ in Italia moraretur, quemadmodum ex adnotatione 2. ad epiſtolam V. manifeſtum eſt; nec demum ad primum cum Rudolpho Cæſare bellum anno 1276 inchoatum et terminatum, cum nulla proſtet memoria, ab Ottocaro illius occaſione caſtrum aliquod obſidione fuiſſe cinctum. Igitur ſolum reſtat alterum cum Rudolpho bellum, quod menſe Novembri anni 1277 recruduit. Acceptis enim literis, quas numero præcedenti dedimus, et aliis Ottocari factis de ejus perfidia abunde edoctus *„Rex Romanorum partem Auſtriæ, quam Regi Boemiæ ſub obligatione pro XX. millibus marcis, videlicet copulatis hæredibus, pro dote aſſignaverat, reſumpſit. Itaque Rex Boemiæ iterato collecto exercitu grandi Auſtriam intravit, et omnes munitiones novis inſtrumentis et machinis, qui cati vocantur, potenter expugnavit, et ſic diſſenſio et guerra gravis orta inter eos. Nam tota hyeme Auſtrales Moraviam, et contra Boemi Auſtriam diverſis rapinis, prædis et incendiis vaſtaverunt"*. Ita ad annum 1277 Hiſtoria Auſtralis apud ***FREHER T. I. p.*** 471 et Chronicon Auſtriacum apud ***RAUCH T. II. p.*** 269. Ad haſce obſidiones per epiſtolam præſentem excitatos fuiſſe ab Ottocaro ſubditos veriſimillimum judico, quam proinde menſi Novembri anni 1277 alligandam duxi. Accedit, quod in Codice noſtro aliis literis ad hoc bellum ſpectantibus intermixta compareat.

XXXII.

Ottocarus caſtrorum Præfectis diligentem eorundem cuſtodiam injungit. 1277 Nov.

Vt Caſtris .. et .. diligens adhibeatur Cuſtodia, Mandat Rex 1).

Quoniam ad omnia mala, que poſſunt accidere, cautela conſulente ſic prouide circumſpeccionis ſunt premittenda munimina, ut nociua minus noceant, ſi forſan emergunt, uel penitus relegentur, Mandamus uobis, quatenus tam diligentem debeatis adhibere cuſtodiam Caſtris, que uobis commiſimus, ut ex defectu cautele, ſeu cuſtodie negligencia dampnum euenire, uel periculum nullum poſſit.

1)

1) Ne præsentes ad bella ab Ottocaro annis 1271 et 1273 cum Hungaris gesta referam, eædem me inducunt rationes, quas ad epistolam præcedentem exposui. Ad bellum primum cum Rudolpho trahi quidem possunt; sed meticulositas et circumspectio, quæ ex iisdem elucent, svadent, ut potius secundo bello alligentur. Tum enim Ottocarus jam expertus erat, Rudolphum haud esse hostem ita contemptibilem, ac sibi ante primum cum eo bellum persvaserat. Secundi belli præludia cum jam mense Novembri 1277 fierent, diligens castrorum terminalium custodia jam tum necessaria fuit. Proinde quoad datum præsentes a præcedentibus haud multum diferre existimo.

XXXIII.

Ottocarus Sigefrido de Westerburg, Archiepiscopo Coloniensi, gratulatur de felicibus contra inimicos progressibus eumque, et per ipsum alios Germaniæ Principes in suas partes trahere nititur. Anno 1277 vergente.

Rex Archipiescopo Coloniensi 1) grates agit eo, quod sibi suos prosperos successus nunciauit.

Quod uestrorum felicium nobis incrementa successuum nunciare curauistis, graciarum vobis referimus vberrimas acciones. Ex hoc enim clare percepimus, quod vestra nos paternitas sincere complectitur brachijs caritatis, et de beniuola deuocione, ac deuota beniuolencia, quam ad uos habemus, perfecte confidit. Quia dum vestri prosperi euentus noua nunciando per placita nos uoluistis esse participes, diligi nos aperte collegimus, et dum succedencium uobis profectus temporum maiestati nostre descripsistis, ad gaudium sentimus, quod de amicicia nostra confidenciam geritis illibatam, et quod nullo penitus hesitatis ambiguo, quin uobis de gratis vestris successibus colletemur. Sed ut illa, quam de nobis habetis, fidu-

fiducia coram ueſtre mentis oculis appareat quaſi teſtimonialis confeſſionis robore ſtabilita, teſtantes profitemur preſentibus, quod illum deuocionis affectum ad uos et Eccleſiam Colonienſem gerimus, ut in hoc nouello et in quolibet veſtre proſperitatis augumento non *minori* 2) noſter animus iocunditate laſciuiat, quam ſi nos ipſi blandientis fortune promocionibus augeremur. Ac licet zelo defecate dileccionis, qua uos et Eccleſiam veſtram a multis iam retroactis temporibus ueneramur pariter et amamus, propenſius inducente, ueſtre paternitati inſitis congaudeamus emolumentis, quin ymo congaudendo tripudijs affluamus, in hijs tamen, que uobis nuper euenerunt, ad uota exultacionis inmenſe perfundi iubilo impellit nos cauſa alia, et inducit. Minorari enim ſentimus ex hoc emulorum ueſtrorum aſtus pariterque faſtus, et, ut uobis tot deinceps machinacionum non tendi neque parari poſſint inſidie ſicut prius, *ex aduerſariorum caſu* 3) non minus patenti quam placido comprehendimus argumento, Sicque fit, ut uobis de veſtris triumphantibus inimicis nobis ſpecialis accreſcit victoria, et, dum mole ueſtre potencie oppreſſos iacere veſtros uidemus obices, nos nimium *erigimur* 3) exultantes, cum, qui aduerſus uos ac veſtram eccleſiam nituntur inſurgere, ualeamus eoſdem noſtros aduerſarios reputare, ac ſciamus, illos in (*ſtar*) candentis olei noſtram zelare gloriam, qui uos et veſtram Eccleſiam perſequntur. Habentibus igitur ſe taliter cauſis hujuſmodi, pie pater, affectuoſiſſime uos precamur, quatenus, ut domini Archi Epiſcopi Magunt. et Treuerenſis et alij amici ueſtri amicicie nobis uniantur glutino, dignemini laborare. Nam cum ſimus ueſtri et Eccleſie ueſtre deuoti, et predeceſſores veſtros ſemper habuerimus nobis fauorabiles et benignos, noſque preterea exaltacioni honoris ueſtri et glorie gratis deſiderijs intendere, ubicunque poterimus, cupiamus nullius inſtancie repagulo, nobis dubietas aliqua refragatur (*haudqua*) quam, quod uos libencius promoueatis profectus et commoda ſtatus noſtri. Ad hec paternitatem ueſtram nobis utique uenerandam, et caro quolibet cariorem Attencius exortamur, *quatenus fratrem Ny.* 5), quem ad uos miſimus, fauorabiliter audientes, ea, que uobis per ipſum notificamus, fini dignemini mancipare, circa eorum execucionem magnifice ueſtre virtutis gratitudinem taliter oſtendentes, ut affectum, quem ad nos geritis, gaudeamus grato percipere in effectu, Tantoque uobis aſtringamur deuocius, quanto ad ea peragenda veſtre verget pronius excellencie animus inclinatus; veſtram Rogamus inſuper ho-

ne-

neſtatem inſtancia magna precum, quod ea, que Kariſſime *nepti noſtre domine* 6) veſtra promiſit liberalitas, adimplere uelitis, Scientes, quod ſi concurrere in eo dignabitur uotis noſtris, preter grates, quas uobis referimus, proinde teneri uolumus inſuper ad veſtra beneplacita ſpecialiter obligati.

1) *Archipiſcopo Colonienſi.* Proſperi contra adverſarios ſucceſſus, de quibus epiſtola loquitur, conveniunt in Sigefridum de Weſterburg, qui cathedram colonienſem tenuit ab anno 1275 uſque ad annum 1297 vel 1298, non vero in ejus prædeceſſorem Engelbertum II. de Falchenburg. Vid. *Gallia Chriſtiana T. III. p.* 694 *et* 695.

2) Cod. habet: *minor.*

3) *ex adverſariorum caſu.* Reſpicere videtur hiſce verbis Ottocarus eventum, quem narrat *LEVOLDUS A NORTHOF in Chronic. Comit. de Marka apud MEIBOM. S. R. G. T. I. p.* 391. „Eodem anno MCCLXXVII in vigilia B. Gertrudis Wilhelmus Juliacenſis cum duobus filiis militibus, aliisque viris valentibus et ſtrenuis, urbem Aquenſem armata manu intrans, interemptus eſt. Hoc audito Sifridus archiepiſcopus Colonienſis gaviſus de eius morte Coloniam intrat, miſſam feſtivam in Eccleſia maiori celebravit, quæ eſt de S. Petro, videlicet: *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, et liberavit me de ore leonis.* Deinde Juliacum obſidet, capit, et comburit. Sed antequam ipſum oppidum caperetur, gentes Comitis Juliacens. inde exeuntes, viriliter cum Archiepiſcopo durum habuerunt conflictum. Sed prævalente multitudine victi ſunt, ſicque idem archiepiſcopus totum fere ſibi Comitatum ſubjicit,„. Ad eundem annum Comitis Wilhelmi caedem referunt **Cronica von der hilliger Stadt van Coellen** *fol. CCXXXVIII. verſo. edit. Colon. an.* 1491, *Chronic. Petrinum Erford. apud MENCKENS. R. G. T. III. p.* 291. *et TRITHEMII Chron. Hirſaug. P. II. p.* 33. Major quidem fides adhibenda eſſe videri poſſet coævis *Annalibus Colmar. apud URSTIS. P. II. p.* 14, *et Geſtis Trevir. apud HONTHEIM Prodrom. hiſt. Trevir. diplom. p.* 807, ſupparibusque *Chronico Clauſtroneoburgenſi apud PETZ S. R. A. T. I. col.* 467, *Hiſtoria Auſtrali apud FREHER S. R. G. T. I. p.* 472, *et Chronico Auſtr. apud RAUCH S. R. Auſtr. T. II. p.* 269, cædem Comitis Juliacenſis perpetratam fuiſſe anno 1278 perhibentibus, præſertim cum poſteriora duo Chronica Auſtriaca circumſtantiam addant nonniſi in annum 1278 cadentem, ſcilicet Comitem Wilhelmum occiſum fuiſſe, „*dum ad expeditionem Regis Romanorum ſe præpararet, et ad civitatem Aquisgranum uſque perveniſſet, et exactionem, quam ei Rex Rom. ordinaverat, a civibus exegerit*„. Sed convellere horum narrationem, dubiumque omne tollere videtur diploma anno 1277 datum apud **Kremer akadem. Beyträge zur Gülch und Bergiſchen Geſchichte** III. **B.** *p.* 56, quo nobiles quidam uxori Comitis Juliacenſis, liberisque ejus ſuperſtitibus auxilium contra hoſtes promittunt. Cædes conſentientibus teſtimoniis allegatis accidit die 16 vel 17 Martii. Ante quam Archi-

Archiepiscopus Coloniensis, occasione usus, Juliacum obsidione caperet, Comitatumque in suam potestatem redigeret, et Ottocarus Rex de felicibus ejus processibus certior fieret, æstivum tempus absque dubio elapsum est. Igitur responsoriæ Ottocari literæ vix ante Novembrem signatæ sunt, quo tempore Ottocarus, bellum contra Rudolphum instauraturus Principes undequaque in auxilium suum pellicere, vel saltim a ferendis Romanorum Regi suppetiis avertere cœpit.

4) Cod. habet: *erigimus.*

5) *quatenus fratrem Ny. etc.* Quid Monachus iste, quem Nicolaum dictum fuisse literæ initiales innuunt, quique fortasse unus ex Capellanis curiæ Ottocari fuerat, cum inter eos in diplomate ab illo Monasterio Tischenovitz dato Brunæ XVI. Kal. Novemb. 1259 et in collectione Msptorum Zlobiczkyana extante, etiam Nicolaus quidam legatur, quid, inquam, Nicolaus iste, sive Capellanus, sive simplex Monachus fuerit, in mandatis habuerit, conjicere licet ex *Annalibus Colmar. l. c. p.* 44 *et* 45 aientibus; „*Rex Bohemorum — pecuniam magnam — Misit et promisit etiam Dominis Episcopis, Comitibus, Baronibus prope Rhenum constitutis, ut in adiutorium regis Rudolfi minime pervenirent, vel ipsum pro suis viribus impugnarent*„. Similia habent quoque Chronic. Lambacense apud *RAUCH T. I. p.* 488. et Austriacum *ibid. T. II. p.* 270. Fratrem Nicolaum apud Archiepiscopum Coloniensem rem Ottocari haud male gessisse, probat Chronicon Sampetrinum Erfurtense ad an. 1278 apud *MENCKEN T. III. p.* 291. „*Archiepiscopus Coloniensis Sifridus, dictus Runckil, opposuit se Domino Regi Rudolpho, a quo humiliatus coactus est resignare quoddam castrum munitissimum, Starkinberg dictum*„.

6) *nepti nostre Domine.* Suppressit scriba neptis nomen, licet id per puncta non indicet. Ottocarus fratrem habuit Uladislaum, absque liberis mortuum, et sororem Bozenam sive Beatricem, Ottoni III. sive Pio Marchioni Brandenburgensi nuptam, ex qua teste Pauli Preußische Staatsgeschichte I. B. *p.* 308 duæ prognatæ sunt filiæ, Cunigundis, quæ secundis nuptiis Ducem quemdam Luneburgensem maritum habuisse dicitur, et Mechtildis, tertia uxor Barnimi Pomeraniæ Ducis. Hæ neptes erant Ottocari. De qua vero hoc loco locutus sit, quis definiat? Probabilius de ea, quæ Archiepiscopo Coloniensi vicinior fuerat.

XXXIV.

XXXIV.

Ottocarus Nobilem quemdam Austriæ ad servandam sibi fidem, commodaque sua procuranda hortatur. Anno 1277 vergente, vel primis mensibus anni sequentis.

Inducitur Nobilis ad perseueranciam fidelitatis.

Ut (de) tue fidelitatis constancia debeamus incorrupte spei fiduciam gerere, fidei predecessorum tuorum nos inducit memoria, quam pre nostris oculis retinemus. Scimus enim, tamquam qui argumento probabilitatis sumus euidentissime experti, quod pater tuus bone memorie nobis adhesit fideliter, sueque fidei puritatem ostendit per opera, dum nunquam a nostris secedens beneplacitis, continuatis obsequijs nostre semper, dum uixit, complacuit maiestati. Patruus eciam tuus eiusdem deuocionis Zelator extitit nobis, seruiuitque fideliter, quamdiu sibi uita comes fuit, Ita quod a nostris seruicijs nunquam diuelli potuit nisi morte. Vnde cum non dubitemus, sed sumus certo pocius cerciores, quod viam parentum tuorum imitans, deuocionis et fidei tue constanciam, quam erga nos semper gessisti, stabiliter debeas conseruare, Petimus, ut non intercisis operibus in ipsa impermutabiliter perseuerans secedere non debeas ab eadem, sed quidquid pro utilitate nostra expediens fieri uidebitur, studiose ac fideliter deducas in actum; nam nos, quamdiu uixerimus, tuis volumus speciali quadam singularitate inuigilare profectibus, et tecum cuncta, que habemus, sortiri uolumus, *eciam si non nisi ad vnum denarium veniremus* 1).

1) *eciam si nonnisi ad vnum denarium veniremus.* Hæc verba manifeste docent, Ottocaro tum jam firmum stetisse propositum, omnia sorti exponendi, ut amissas provincias Austriacas recuperet. Data igitur est epistola anno 1277 vergente, vel primis anni sequentis mensibus, et quidem ad quemdam ex Nobilibus Austriæ, quos Ottocarus eo tempore suis partibus adjungere omnimode laborabat. Vide *adnotationes* 1. *et* 3. *ad epist. seq.* Quisnam vero is fuerit, statuere non audeo. Crederem fui-

se Henricum Priczlinum, de quo in epistolis XXIX et XXX Ottocaro sermo est, nisi mihi constaret, strenuissimum illum Austriæ militem, Henicum Pruzelonem, qui anno 1267 in intestino bello Hungarico interemptus est, quique pater vel patruus istius Henrici Priczilni fuisse videtur, relictis Ottocari servitiis ad Belam IV. Hungariæ Regem transiisse. Vid. Adrian Rauch's Oesterreich. Gesch. III. B. S. 326.

XXXV.

Ottocarus Henrico Chunringio, Austriæ Mareschallo, dissvadet præproperos actus hostiles, monens tamen, ut ad bellum se paret. 1277 exeunte vel 1278 ineunte.

Quod in exercenda re belli non debet aliquis esse festinus, scribit Rex Chunringero, et quod ad bellum se premuniat.

O. Dei gratia Rex Boemie *dilecto fideli suo . . Chunringero* 1) gratiam suam et omne bonum. Omnia suis sunt facienda temporibus, quia, licet audaces quandoque fortune iuuet arrisio, sepissime tamen optato caret exitu, quidquid agitur intempeste. Qui marcoris hiemalis gelicidio agris cererem mandat tepentibus, Anno tristabitur sterili: uitare naufragium exiciale non poterit, qui, dum placida ventis stant equora, profundum sulcare preceps non curat nauita: nec sanabit medicus, qui dies debitos et temporales terminos non seruauit. Ideoque si recto racionis acumine uelis causarum merita intueri, nichil est, quod magis exigat suo geri tempore, quam discrimen ambiguum seui martis, propterea quod non pro uita, que res est amabilis, ymo pro gloria, per quam ipsi uiuunt mortui, *quod* 2) est preclarissimum, dimicatur. Quare *non sis festinus* 3), sed hore terminum debitum ad bellum te premuniens prestoleris.

1) *dilecto fideli suo . . Chunringero.* Suppressum est absque dubio nomen: *Henrico.* Duo erant Henrici Chunringii de Weitra, a Rudolpho Romanorum Rege post

poſt decretoriam cum Ottocaro pugnam proſcripti, bonisque mulctati, pater et filius. Ille Henricus ſenior, hic junior audit. Poſteriori epiſtolam præſentem inſcriptam fuiſſe vel inde colligas, quod ruere curſu præcipiti in bellum juvenilis ſit levitatis et audaciæ, non maturitatisſenilis. Porro ſcriptores coævi tantum de Henrico juniori commemorant, eum in ſecundo bello Ottocari partes ſecutum fuiſſe. Henricus ſenior alia ex cauſa Rudolphi offenſam incurriſſe videtur. Teſtante *Chronico Saliſburgenſi ad an.* 1278 *apud PETZ S. R. A. T. I. col.* 376 „*Hainricus de Chunringe Marſchalcus Auſtriæ*„ a Romanorum Regis devotione receſſit, aliosque corrumpere niſus eſt. Mareſchalli dignitatem vero penes Heinricum juniorem fuiſſe probant documenta de die VI. et XII. Septembris 1277 apud *GERBERT in Auctuario diplom. ad cod. epiſt. Rudolph. Num. IV., V. et VIII. pag.* 203, 204 *et* 211. Clarius adhuc, prolixiusque hac de re loquitur ſynchronus Ebro, Abbas Zwetlenſis, Chunringiis familiariſſimus, in libro Fundationum ſive Chronico monaſterii Zwetlenſis apud *LINCK Annal. Auſtrio — Clarav. T. I. p.* 427, 423 *et* 433: „Per hunc autem modum miſſus eſt in exilium Dominus Henricus Chunringarius Senior de Witra: Habuit enim filium nomine Hainricum Virum ſtrenuum et fortem, qui multis diebus Marſchalcus Auſtriæ dinoſcitur extitiſſe, et Regi Romanorum ſe per hanc occaſionem oppoſuiſſe. Habuit enim conjugem idem Marſchalcus filiam Regis Bohemiæ Otachari ex obliquo. Igitur uxor ejus nomine Agnes animum ipſius Hainrici Marſchalci crebris ammonitionibus immutavit, et ut Regi Bohemiæ, videlicet ſocero ſuo, adhæreat, inſtigavit. De quo Rex Romanorum Rudolfus nimium exacerbatus, quomodo eum una cum patre et matre ac fratribus de terra ejiceret, licet bello inſtruendo ante eſſet occupatus, ex ipſius tamen æmulis quæſivit. Quapropter æmuli ipſius Heinrici gaudentes, quaſi jam occaſionem certiſſimam inveniſſent (ſiniſtro enim oculo ipſius opes magnas et potentiam aſpiciebant) contra eum tale conſilium dederunt, et ad Regem Romanorum pacifice reduxerunt, tali tamen impoſita conditione, ut ſi ipſe aliquatenus mutaretur, et ad Regem Bohemiæ relicto Romanorum Rege reverteretur, caſtrum in Weitra cum civitate et omnibus ad idem caſtrum pertinentibus perdidiſſet, ac ſi illud nunquam cum patre et matre et fratribus habuiſſet. Poſt hanc ſponſionem prædicta uxor ejus animum ipſius, ut prius, in deterius commutavit, et ut ſocero adhæreret, inſtantius perſuaſit. Sed poſt hanc immutationem Romanorum Rex caſtrum Weitra cum ſuis pertinentiis popoſcit; cui ſe prædictus Hainricus Marſchalcus una cum patre oppoſuit„. Hæc reſiſtentia, quæ jam poſt Ottocari cædem locum habuit, Henrici Senioris crimen, eique exitio fuit, ut fuſe narrat *LINCK l. c. ad. an.* 1279 *et* 1280 *p.* 431 *et* 433.

2) Cod. habet: *quo*.

3) *non ſis feſtinus.* Hiſtoria Auſtralis plenior apud *FREHER T. I. S. R. G. pag.* 471 et Chronicon Auſtriacum apud *RAUCH S. R. A. T. II. pag.* 269. ad an 1277. referunt: „tota hyeme Auſtrales Moraviam, et contra Bohemi Auſtriam diverſis rapinis, prædis et incendiis vaſtaverunt„. Chronicon Clauſtro — Neoburgenſe ad an. 1278 apud *RAUCH T. I. pag.* 111. perhibet a Rege Bohemiæ multos pecunia clanculum porrecta in fauorem ſuum et auxilium attractos fuiſſe, *‚adeo ut quidam*

trales perversi municionibus suis et prædonibus terminos austrie in contemptum Regis Rudolfi devastarent, quorum eciam quidam sine licencia, alij a Rudolfo rege licenciati regi Bohemorum adherentes, austriam incendio, et rapina et cedibus usque ad Danubium destruxerint". Inter hos profecto fuit Henricus Chunringius junior, qui sub finem anni 1277 Mareschalli officio a Rudolfo Rege privatus esse videtur; nam anno sequenti jam "*Stephanus de Meissave Marscalcus Austrie*," fuisse legitur in diplomate Rudolphi civitati Vindobonensi dato *Wienne octavo Kalendas Julii* (24. *Junii*) 1278 ap. Lambacher Oesterreich. Interregnum im Anhang *Num. XCI pag.* 167. Chronicon Claustro-Neoburgense apud *RAUCH T. I. p.* 113 *ad an.* 1278 et Poema germanicum vetustum de fundatione Parthenonis S. Bernhardi apud *PETZ T. II. p.* 299 Stephanum de Meyssowe a Rudolpho ad conflictum decretorium cum Ottocaro accedente Mareschallum Austriæ constitutum fuisse referunt, quod commode accipiendum est. Has velitationes Ottocarus tanquam prematuras in sua epistola repexisse censendus est. Ea igitur ad anni 1277 finem vel principium sequentis referenda est.

XXXVI.

Ottocarus Universitati injungit, ut operarios ad reparandum fossatum civitatis Czaslaviæ mittat. 1278.

Mandat Rex, ut . . Ciuitas muniatur 1).

Licet plenius constet nobis, quod in hac uice, exigente malicia temporis et ob nostrarum turbacionem terrarum, plusquam nimium sitis afflicti, tamen quia id necessitas inportune requirit, carere non possumus, quin uos hijs, que sunt publici comodi, *oneremus* 1). Quare cum Ciuitas nostra Zhazlauia, que tempore necessitatis vestrum et nostrorum refugium esse potest, *reparacione* 3) fossati admodum egeat, vniuersitatem uestram requirendam duximus et ortandam, expresse nichilominus iniungentes, quatenus homines uestros ad reparacionem ipsius fossati transmittere sine intermissione aliqua debeatis, ut eorum mediantibus operibus ad complementum debitum deducatur.

1)

1) *vt Civitas . . muniatur.* Suppressum civitatis nomen in ipsa epistola expressum legitur, cujus tenor etiam satis indicat, quo tempore data sit. Certe Ottocaro nonnisi anno 1278, cum alterum contra Rudolphum Cæsarem bellum moliretur, timendum fuit, ne, prœlio victus, refugium Czaslaviæ quærere debeat.

2) Cod. habet: *honoremus.*

3) Cod. habet: *preparacione* et paulo inferius iterum: *preparacionem.*

XXXVII.

Ottocarus, bellum contra Rudolphum Rom. Regem instauraturus, auxilium exposcit a Ducibus Poloniæ. 1278.

Racione inducuntur et prece Duces Polonie, ut impendant auxilium Domino Regi.

Requirentes racionis circumspecte scrutinio gentium genera diuersarum inuenimus, quod nobis magis est conformis spaciose polonie nacio, et inter vniuersas orbis prouincias nostris, quas auctore Deo gubernamus, regionibus eadem cuiusdam proprietate similitudinis magis eciam est affinis; Ipsa enim in lingue consonancia nobis conuenit: Ipsa proxima loci contiguitate, nullius interiecta distancie spacio, terris nostris coniungitur: Ipsa et vnione glutinatur sanguinis, et affinitatis nobis connectitur vinculo, et demum inter ipsam nostramque serenitatem reperitur conformitatis conparitas, ut suos alumpnos et nos ex eiusdem uena profluxisse scaturiginis glorietur. Ob istius itaque consideracionis aspectum, ueris utique racionibus ueroque prouisionis tramite procedentem, in illius transimus disposicionis habitum, et ad hoc naturalibus *inducimur* 1) suasionibus, ut *magnificos . . Polonie principes* 2), Barones, milites et populos vniuersos, quos sue amplitudinis sinu complectitur atque fouet, striccioris dileccionis prosequamur beniuolencia, ipsorum gaudeamus in prosperis, et turbemur aduersis, ipsi cupiamus esse presidio, suique honoris et glorie continuum zelemus augmentum. Ex hac eciam consideracione

magna

magna nobis emergit fiducia, et confurgit ac prouenit fpes infracta, ut uos in neceffitatis articulo requirere debeamus intrepide, *nobis quod* 3) letanter curetis fubuenciones et auxilia exhibere. Vnde cum Dominus Rudolphus Rex Romanorum non contentus, quod abftulit terras noftras, feruens adhuc malignandi cupidine, *offendendi* 4) nos amplius fiti eftuet pociori, cumque nos ad refiftendum fibi uiriliter, defidiofum hucufque nunc erexerimus animum, velimusque fuis occurrere, potencia noftre manus obice, contumeliofis infultibus et preffuris, dileccionem veftram attencius duximus exorandam, quatenus nobis in auxilium uenire dignemini cum ftrenua, ficut ueftram decet excellenciam, armatorum militum comitiua, Ita quod *in tali die fitis in tali loco* 5) conftitutus, vbi per folemnes nuncios noftros, uos et ueftros decenter faciemus recipi eo tempore, et honorifice conduci ad noftre prefenciam maieftatis. Sed ad huius quidem nobis impendendum fubfidium non folum prefata uos debet inducere racio, verum eciam caufe alterius efficax argumentum, Quia fi, quod absit, nos contingeret prefati Regis oppreffione peffundari, infaciabiles theutonicorum hiatus fe liberius expanderent, et manus improbas facilius ufque in ipfam prouinciam extenderent ipforum noxij appetitus; Sumus enim uobis et terris ueftris quafi firmum fecure tuicionis preurbium, quod, fi forte ante feuientis indignacionis faciem non poffet, quod deus auertat, refiftere, intelligere poteftis, uobis et ueftris fubditis magna tunc pericula imminere, quia procax habendi fames contenta non effet nos tantum fibi fubicere, fed bona ueftra diriperet, et in uos infuper intollerabilibus anguftiarum grauaminibus infeuiret. O quantis affliccionibus exofa theutonicis veftre tunc opprimeretur nacionis numerofitas, O quam dire feruitutis iugo libera fubmitteretur polonia, O quanta fub clade fatifceret tunc vniuerfitas ueftre gentis, Certe in promptu fatis eft aduertere, magifque uos poteftis preconicere, quam deceat nos referre. Quapropter intendite in adiutorium noftrum, intendite, et ad propulfandum longius diftantis adhuc flamme incendium opem et operam efficaciter *exhibete* 6), Attendentes confulcius fore obftare principijs, quam poftquam ignis vorago nimis inualuerit refiftenciam non timentis, et quod is, qui vicinam domum, ne comburatur, defenderit, tuetur propriam manfionem. Ad hec nuper noftra ferenitas intellexit, quod dictus *Rex Rudolphus fuis fuaforijs legacionibus vos non folum a noftra quefieris amicicia, ab inpenfione iuuaminis remouere* 7), verum eciam inter nos diffiden-

dentis zyzanie lolium ſeminare. Qua de cauſa, cum, ſi bene uelitis attendere, hoc uobis ad honorem non accederet, ſed pocius ad iacturam, affectuoſe depoſcimus, quatenus ipſius ſuggeſtionibus aures nolitis patulas adhibere, quin ymo noſtrum, qui de ueſtre ſumus gentis genere, in auxilium accingamini hilariter ac potenter, deliberacione aduertentes prouida, quod, ſi veſtrum iuueritis, uos iuuatis, et utique, ſi nobis prebebitis auxiliaris dextere ſubſidium, nos aduerſus aduerſarios ueſtros noſtrarum exponemus potenciam virium, et uobis potencialiter aſſiſtemus, ſiue ijdem aduerſarij ueſtri Xpiani fuerint uel pagani.

1) Cod. habet: *inducuntur*.

2) *magnificos . . Polonie principes.* Suppreſſa videntur nomina quædam propria, quæ reſtituere impoſſibile eſt. Certe fuerunt nomina aliquorum ex iis Poloniæ Principibus, qui Ottocarum in ſecundo bello adverſus Rudolphum juvabant. Hos inter vero *HORNECK in Chronico rhythmico cap. CXL. apud PETZ S. R. A. T. III. pag* 141 numerat ſequentes: „Sein Ohaim Kunig Wenczla, wañ deſs Sun Herczog Polch — Und der Herczog aus Pullen, — Und der Herczog von Glogaw, — Und von Preſſla Herczog Hainreich, Und dez Veter Herczog Primickh, Und von Ratwar Herczog Leſtickh, — Von Polan Herczog Gaſmer, — Der Herczog von Caleiß, von Siraz und von Pomeran, — Kunig Le von Reizen". Horneckium ſecuti ſunt in Chronicis ſuis *HAGENUS apud PETZ T. I. col.* 1089 et *HASELBACHIUS ibid. T. II. col.* 737. Utinam interpretati fuiſſent auctorem, atque correxiſſent! ſed corruperunt potius. Regem Wenceslaum, Ottocari avunculum, cum filio Bolcone, ſive Boleslao in illorum temporum hiſtoriis fruſtra quæſieris; nec inter omnes, qui tum exiſtebant, Poloniæ Principes facile alios invenies, quos ſubſtituas. Boleslao Maſoviæ Duci, filioque ejus natu maximo Ziemovito, ut ſufficiantur, ſaltim chronotaxis non obſtat, immo vicinitas ſuffragatur. Vid. Hübners geneal. Tabellen *I.* Th. *Tab.* 94 et 95. Nominat quoque Boleslaum expreſſe Hageccius. Der Herczog aus Pullen certe non eſt Rex Apuliæ, ut reddidit Haſelbachius, ſed videtur eſſe Dux Opolienſis, qui tum fuit Wladislaus I. Opolia enim germanice ſæpius ſcribitur Opulen, inde facile natum Pullen, ex quo Hagenus efformavit Püllen. De Duce Glogovienſi nullum dubium. Erat is Conradus II., electus quondam Epiſcopus Patavienſis. Conſtat quoque de Duce Wratislauienſi, qui fuit Henricus IV. cognomento Probus. Herczog Primickh eſt Primislaus, qui germanice Przemke, Przymcke, Prymko vocatur. Sed plures tum fuerunt Sileſiæ et Poloniæ Duces, qui Primislai nomen ferebant, nempe Primiſlaus Dominus in Sprottau et Sagan, mortuus 1290, filius Conradi II. Ducis Glogovienſis, Przemislaus Dux Opolienſis, Dominus in Ratibor, mortuus 1295, filius Wladislai I. Ducis Opolienſis, Przemislaus primum Poſnanienſis et Gnesnenſis, dein totius majoris Poloniæ Dux et tandem Rex, occiſus anno 1296. Probabiliter omnes iſti Henricum IV. Probum Ducem Wratislavienſem propius vel remotius affinitate contingeTinge-

tingebant. Quem igitur eorum Horneckius intelligat, difficile est judicare. Verisimillimum puto, intelligendum esse Przemislaum, majoris Poloniæ Ducem, de quo Dlugossus apud *SOMMERSBERG S. R. Sil. T. I. p.* 344 expresse dicit, quod respectu Henrici Probi Wratislauiensis Ducis „*Frater suus amitalis fuerit*". Herczog Lestisch von Ratwar nullus alius esse potest, quam filius Przemislai Ducis Opoliensis et Domini in Ratibor, Lescus, Lesko vel Lestko, cujus diploma de anno 1334 extat apud *SOMMERSBERG l. c. in Cod. Siles. dipl. num. CXII. pag.* 884 ita incipiens: *Nos Lestko Dei gracia Dux Rathiborgensis.* Vid. quoque *pag.* 707. Herczog Gasmer von Polan vix alius esse potest, quam Casimirus Dux Lencicienfis, Casimiri Cujaviæ Ducis filius, a Lithuanis cæsus circa 1294. Der Herczog von Kaleis et von Siraz sunt Boleslaus pius Dux Calisiensis et Lesko niger Dux Siradiensis. Dux Pomeraniæ huc nequidem spectat. Leo Rex Russiæ, scilicet rubræ, extra controversiam est. Cfr. *Tabulas genealogicas, earumque probationes apud SOMMERSBERG l. c. et apud Pistor. T. III. Corporis hist. Polon. p.* 147 *seqq.*

3) Cod. habet: *nobisque.*

4) Cod. habet: *offendi.*

5) *in tali die sitis in tali loco.* Dies suppressus verisimiliter est festum Apostolorum Petri et Pauli, quod celebratur die 29. Junii; locus vero Brunna, Moraviæ civitas. Conjicere hoc licet ex Continuatore Cosmæ Pragensis apud *PELZEL et DOBROWSKI T. I. S. R. B. pag.* 423 dicente: „*Anno Domini Mill. CCLXXVIII. V. Kal. Julii Rex Ottokarus profectus ad expeditionem contra R. Electum versus Moraviam, reseditque in Brunna, expectando Duces Poloniæ et militiam ipsorum, Nobiles etiam Bohemiæ atque Moraviæ, quorum auxilio sperabat se victoriam obtinere, et terras sibi ablatas iterum Dominio suo subiugare*". Clarius adhuc quantum locum concernit, loquitur *HAGECK* Böhmische Chronik übersetzt durch Jo. Sandel Nürnberg 1697 *pag.* 454: „Anno 1278. König Primislaus Ottogarus versamelte ihme viel Böhmisches Kriegsvolk, und zog damit aus Prag den dritten July stracks auf Mähren zu, und lägerte sich bey Brinn, allda wartete er des Herzogen Boleslai aus Polen vermöge seiner Zusage, guter Hoffnung, er würde mit diesen seinen Böhmischen und Mährischen, daneben auch dem Polnischen Kriegsvolke die Länder, so er dem Kayser gutwillig gegeben, wiederum erobern können." Cum Ottocarus in determinanda die non adjiciat verba: *anni futuri*, argumento id est, epistolam scriptam fuisse eo ipso anno, quo Ducum Poloniæ auxilio indigebat.

6) Cod. habet: *exhibite.*

7) *Rex Rudolphus suis svasorijs legacionibus — removere.* Profecto Rudolphus talia non tentavit, antequam de hostili Regis Ottocari animo certus esset. De hoc vero eidem primum constabat sub initium Novembris 1277. Si Rudolphus etiam extemplo legatos ad Poloniæ Principes abire jussisset, Ottocarus tamen nonnisi sub principium anni sequentis de eorum molitionibus quidquam comperire poterat, ex quo denuo liquet, epistolam ad annum 1278 reponendam esse.

XXXVIII.

XXXVIII.

Ottocarus Cunigundem Reginam uxorem suam rogat, ut S. Jacobum per totam Bohemiam singulari devotione et celebritate coli mandet. 1278 Julio.

Mandat Rex, ut deuote sancto Jacobo reuerencia exhibeatur 1).

Otokarus *Ch.* 2) salutem in plenitudine gaudiorum. Affinis nostra Karissima, *Domina M.* 3) ancilla ihesu Xpi de insula sancte *Marie* 4), Soror uestra, suarum nuper nobis denotauit serie literarum, quod cuidam sancte uite Domine apparuerat in visione nocturna quedam persona dicens, quod, si nos beatum Jacobum honoraremus culture reuerentia specialis, ipse prospere actus nostros dirigeret atque in viam deduceret salutarem. Volentes igitur ex hoc beato Jacobo singularis deuocionis honorem impendere, ac excepta quadam reuerencia suam colere sanctitatem, cupimus, ut per omnia Claustra Boemiæ atque parochiales eclesias iniungatis cum processionum atque aliarum solempnizacionum celebritatibus beatum Jacobum honorari, quod ob id sibi nos recommissos specialiter habeat, et in viam salutis dirigat actus nostros.

1) Nullus quidem dubito, præsentes datas fuisse, cum expeditionem bellicam ordiretur Ottocarus, eamque cum gravissimo discrimine conjunctam, igitur vel Hungaricam anno 1273, vel secundam contra Rudolphum Cæsarem. Ad quam vero ex his referendæ essent, longissimo tempore anceps hæsi. Pro Hungarica unicum suppetit conjecturæ fundamentum, satis leve. Testantur nempe Chronica Austriaca apud *FREHER T. I. pag.* 464 et apud *RAUCH T. II. p.* 259, Leobiense apud *PETZ T. I. col.* 841, et Pulkavæ apud *DOBNER T. III. p.* 235 a Rege Ottocaro anno Domini 1273 indictam fuisse expeditionem contra Hungaros *in festo S. Jacobi Apostoli* juxta civitatem Laa congregandam. Præfinitio hujus termini cum honoribus sancto Jacobo decretis cohærere atque ex pari motivo profecta existimari potest. Sed obstat huic opinioni, quod epistolam hanc dedisse videatur Ottocarus, cum jam in expeditione apud exercitum suum versaretur, igitur, si expeditio Hungarica intelligatur, circa festum S. Jacobi 1273; eo vero tempore Henricus de Isernia epistolæ au-

ctor vel jam in Italia fuerit, vel certe in itinere, quod facile deducitur ex iis, quæ ad epiſtolam V. num. 1. adnotata fuere. Accedit, quod monialis Hungara vix ſuggeſtura fuiſſet, quid agere debeat Ottocarus, ut ipſi feliciter ſuccedat negotium inſtans, ſi id fuiſſet bellum Hungariam principaliter concernens. Quare bellum ſecundum cum Rudolpho fuiſſe autumo, in quo Ottocarus beati Jacobi patrocinium implorari per præſentes mandavit. In hocce bellum Rex profectus eſt V. Kalendas Julii 1278. Vid. nota 5. ad epiſtolam præcedentem. Inde ſequitur, menſi Julio præſentes fore alligandas.

2) *Ch.* id eſt Chunigundi Reginæ.

3) *Domina M.* id eſt Margarita. Cunigundi, Ottocari Regis conjugi, *ſororem* fuiſſe Margaritam, ſanctimonialem in inſula S. Mariæ ſive leporum prope Budam, patet ex *KATONA Hiſtor. critic. Reg. Hung. T. VI. p.* 533 *et* 631.

4) Cod. habet: *Maria.*



LIBER

LIBER II.

Epiſtolæ, quæ in ordinem chronologicum redigi non poterant.

XXXIX.

Ottocarus Capitulum Olomucenſe hortatur, ut retractata caſſatione electionis Severini Capellani ſui eundem in Canonicum reaſſumat.

Rex Olomucenſe Capitulum arguit, quod eleccionem factam de Capellano ſuo caſſauerat, et rogat, ut illa caſſacio retractetur.

Si caute uelitis attendere, ac aduertere diligenter, in eam uenietis agnicionis ſentenciam, ut libere procul dubio ſenciatis, quod, licet ea,

que caute negocia geritis, per uos debeant obseruari, multo tamen forcius uos decet illa non reuocare in irritum, que ad mayestatis peticionem Regie, cui honor tamquam preexcellenti debetur, prouide statuistis. Sane seuerinum dilectum Capellanum nostrum olim per nominacionis expressionem Canonice ad nostre interuencionis instanciam elegistis in Ecclesia uestra in Canonicum et in fratrem, et pro eo uobis grates retulimus speciales. Nunc autem, prout inuite intelleximus, sed magis inuite duximus referendum, peticione nostra, que prius admissa fuerat, quasi post terga dimissa, uestraque mutata in contrarium voluntate, eundem ipsius nominacionis tytulo priuauistis. Quamobrem ne uos, qui maturitate preuia aliis debetis consulere, uideamini procedere vestris in actibus inconsulte, vos hortandos duximus et rogandos, quatenus irritacionem nominacionis ipsius, ut condecet, retractantes, eundem Seuerinum reassumere uelitis saltem modo in canonicum et in fratrem.

XL.

Ottocarus hæreditatem defuncti Baronis H. de Lobkowiz in fiscum redigi jubet, præscribens Præfecto modum, quo intuitu bonorum et hominum ad ea spectantium procedendum sit.

Mandat Rex, ut Baronis mortui Res confiscentur.

Cum ex relacione veridica nostre nuper percepit excellencia maiestatis, quod *H. de loco Wiz* 1), necessitatis humane debitum exsoluendo, vniuerse carnis viam sit ingressus. Cum idem H., dum uita fruebatur, omnia bona sua, tam mobilia quam stabilia, nobis donauerit inter viuos, ut, quem filijs natura priuauerat, per legum suffragium statueret nec improuide sibi principem in heredem, mandamus tibi, quatenus tam de Castro, quam

quam de ceteris bonis eius ſtabilibus et mobilibus noſtro nomine (*te*) intromittas, Caſtellanos uel baliſtarios in eodem Caſtro morantes non remouens, uel immutans, ſed per eoſdem Caſtrum diligenter cuſtodiri faciens, et ordinans, vbicumque oportunum fuerit, reparari. Captiuos eciam, quos ibidem inueneris, reſtituas priſtine libertati, et *Relictam* 2) prefati H. ſeruata honeſtate de Caſtro eodem deducens, permittas eam in bonis ſue dotis permanere pacifice et quiete, donec prefate donacionis priuilegia, que nobis idem H. contulerat, ſuper eo inſpici faciamus, indagacione diligenti nichilominus diſquirens, vtrum prefatus H. poſt donacionem, quam nobis fecerat, uendiderit, ſeu obligauerit, uel aliquo modo alienauerit quidquam de bonis prefatis, et quid ſit, aut quibus id duxerit uel uendendum, uel obligandum, uel alienacionis tytulo alterutrum transferendum. Volumus eciam, vt bona mobilia, vtpote arma, baliſtas et alia, quecunque poſt mortem ipſius diſtracta fore perceperis, requiras a tenentibus, ipſaque ad manus tuas ſine offenſione tamen illorum ſtudeas reuocare, ſciens legacionem prefati H., quam de equis ſuis fecit predicatoribus, ratam nos habere uelle tantummodo, alias vero quaslibet, quas feciſſe aſſeritur, penitus irritare. Et idcirco Canes, falcones, ambulatores, dextrarios, ſpadones, et quaſcunque alias res, *ceu* 3) non legatas a prefato H., requirere et reuocare ſtudeas diligenter, ipſaſque nobis transmittere, Ita quod tali die in tali loco ſint omnimodis conſtitute, cauens, ſicut noſtram gratiam caram habes, ut hominibus in bonis prefatis reſidentibus Collectas uel exacciones aliquas non imponas, ſed cenſum tantummodo colligas, ipſumque reſerues, donec, quid de eo faciendum fuerit, tibi noſtris literis reſeremus, facturus in prefata cenſus exaccione gratiam hijs, qui per ignis incendium ſunt oppreſſi. Ad hec mandamus tibi preciſe, quatenus, ut in predictis bonis pax et tranquillitas uigeat, cum pena pecuniaria, ſecundum quod decuerit, punias excedentes, et de mulctis molendinorum et piſcinarum obſtacula facias raparari, nec non et cuſtodes *ſiluis* 4) preficiens, venaciones et piſcaciones Tructarum penitus interdicas, nec annonam diſſipans et hiemalium ſeminacioni ſolercius intendens, aurifoſſores aduoces, et montanos, qui ex imis terre uiſceribus aurum et argentum *fodiendi* 5) liberam habeant facultatem.

— 1) *H. de loco Wiz.* Legendum veriſimiliter eſt: *Henricus de Lobkowitz.* Cum Tabulæ genealogicæ familiæ Lobkowitzianæ apud Balbinum et Paprocium non aſcendant ad ſeculum decimum tertium, de anno, quo mortuus eſt H. de Lobkowiz,

non

non constat, proinde nihil suppetit, ex quo judicium ferri possit, quali anno præsentes datæ fuerint.

2) id est viduam. Cod. habet: *Relicta.*

3) Cod. habet: *seu.*

4) Cod. habet; *siluens.*

5) Cod. habet: *fodendi.*

XLI.

Ottocarus commendat consangvineum suum H. Wratislaviam ad studia missum.

Vt Juuenis studens recommendatus habeatur.

Vestre honestatis sinceritas, qua, de certo scimus, nostram beniuolentie affectibus zelamini maiestatem, prebet nobis spei fiduciam plenioris, ut nostra uobis precamina *porrigamus* 1), tamquam pro firmo gerentes, quod ea curabitis optato effectui mancipare. Igitur dileccionem vestram attencius duximus exorandam, quatenus efficere dignemini, ut *H. filius* .. *Clare memorie noster Consanguineus* 2), quem ad uos suadente confidencia, quam de uobis gerimus, duximus destinandum, in Ciuitate Wratizlauiensi insudare ualeat studio literali, et habeatis ipsum intuitu nostri taliter comendatum, sibi in necessarijs prouidendo, ut nec tempora studij defectus occasione pretereant, et nos ualeamus uobis ad vberrimas proinde graciarum assurgere acciones.

1) Cod. habet: *porrigam.*

2) *H. filius* . . *Clare memorie noster Consangvineus.* Tabulæ genealogicæ apud SOMMERSBERG *T. I. S. R. Siles.* docent, plures intra annum 1270 et 1278 extitisse Silesiæ Duces, Ottocaro Bohemiæ Regi consangvineos, qui Henrici vocabantur. Sed pensatis omnibus circumstantiis nullum invenio, cui ea, quæ in hac epistola de H. filio dicta sunt, applicari possent. Hinc extra Silesiam illum H. quærendum esse puto, sed ubi, fateor me ignorare. Nec conjectura assequi valeo, ad quem directa sit epistola, an ad Henricum IV. Wratislaviensem Ducem, an ad Hedwigem,

Hen-

Heinrici II. ſive Pii Siliſiæ Ducis filiam, ad ſanctam Claram Wratislaviæ Abbatiſſam, que mortua eſt anno 1288, an ad Epiſcopum Wratiſlavienſem, vel aliam perſonam illuſtrem Wratislaviæ commorantem.

XLII.

Ottocarus filio Camerarii Moravici injungit, ut reſtituat Abbati Trebecenſi, quæ ei abſtulerat nomine pignoris patris ſui.

Mandat Rex, ut reſtituantur ablata.

Ex tuarum ſerie literarum, quas nobis deſtinaſti, noſtra ſerenitas intellexit, quod ea, que per te recepta fuerunt *Abbati Trebecenſi*, 1) pater tuus nomine pignoris eidem abbati recipi procurauit. Sed ſcire debes, quod, ſi dictus Abbas patri tuo in aliquo tenebatur, non decuit, ut illum impignorari faceret, cum proceſſus huiusmodi ad uiolenciam pocius, quam ad equalitatem iuſticie ſe inclinet. Debuit enim pater tuus dictum abbatem per iuris ordinem deducere ad ſoluendum, ſi forſan ei tenetur in aliquo, et non ſic per uiolenciam cogere, ut eſt dictum. Nam licet idem pater tuus *Camerariatus officio fungatur*, 2) ſcire tamen debet, quod cum ſubditis noſtris nolumus eum agere uiolenter, et potenciam, quam ex officio conſequitur, in minores et ſubditos experiri. Qua de cauſa tibi precipiendo mandamus, quatenus ſine alicuius difficultatis et more diſpendio cuncta, que recepiſti dicto Abbati nomine pignoris patris tui, uel quacunque alia cauſa, reſtituas integraliter, et reſignes. Et ſi pater tuus aliquid habuerit proponere uel agere contra ipſum, hoc coram nobis (*juſtitia*) mediante proſequatur, quia licet inpar ſit alijs racione Camerariatus officij pater tuus, in aſſecucione tamen debitorum ſe alijs nouerit eſſe parem. Vnde ſicut *unquam* 3) noſtram gratiam caram habes, ſic omnia *integraliter* 4) dicto abbati reſtituas, quibus ipſum priuaueras, Ita quod ad nos ſuper eodem negocio rumor aliquis non aſcendat.

1)

1) *Abbati Trebecensi.* Trebicium olim Coenobium erat Ordinis S. Benedicti, fundatum ab Ulrico et Leopoldo Marchionibus Moraviæ anno 1109, situm in circulo Iglaviensi Moraviæ. Circa annum 1500 connivente Rege Wladislao Wilhelmus de Pernstein Religiosis amplissima bona extorsit, suique juris fecit. Intercidisse videtur ab eo tempore Monasterium celeberrimum ac opulentissimum. Nunc arcis nomen et locum tenet. *PESSINA DE CZEHEROD Mars Morav. L. I. cap. VI. p.* 80. Series Abbatum mihi cognita non est. Inde conjicere nequeo, quis Abbas hoc loco intelligendus veniat. Multo minus de anno datarum præsentium quidquam conjecturare licet.

2) *Camerariatus officio fungatur.* Camerarium Moraviæ jam inde ab anno 1267 usque ad an. 1278 fuisse Hartliebum, vel Archliebum liquet ex diplomatibus datis ab Ottocaro hoc temporis intervallo. Sed eodem tempore occurrunt etiam Seborius vel Wseborius Camerarius Wetoviensis, Cuno Camerarius Olomucensis, Dytricus Camerarius etc. Patet quoque ex *juribus primævis Moraviæ p.* 23, ubi dicitur: „*Item nullus Camerarius citet aliquem, nisi certo cum testimonio eorum, quorum interest*, „ plures simul extitisse Moraviæ Camerarios. Hinc determinari haud posse existimo, ad cujus Camerarii filium hæc epistola data sit.

3) Cod. habet: *nunquam.*

4) Cod. habet: *intelligraliter.*

XLIIII.

Ottocarus Præpositum cujusdam Coenobii immutari et inquietari vetat.

Mandat Rex, ne Prepositus Eclesie inmutetur.

Cum uite commendabilis honestas et morum experiencia probatorum virum prouidum et discretum, fratrem .. venerabilem prepositum de .., reddat nobis dilectum atque laudabilem, et, quod est quodammodo clarius, terre nostre statuat vtilem et fidelem, Scias et de certo, nos nec uelle, nec ualere aliquatenus tollerare, ut circa eundem prepositum, uel preposituram, et fratres, ac bona ipsius domus aliquid innouetur. Qua de cau-

causa tibi precise mandamus, sub obtentu nostre gratie. Firmiter iniungentes, quatenus dictum prepositum immutare uel inquietare non presumas, sed eum in eo statu omnino manere permittas, in quo hactenus existere consueuit. Ingratus enim rumor nostras nuper peruenit ad aures, quod tu eundem prepositum inmutare intendebas, quod, cum inequabile, non racionabile censeatur, ex eo quod idem et integritate fidei nobis et terris nostris acceptus habeatur, et *preterea* 1) procuracionem ipsius prepositure laudabiliter aministrasse dinoscitur, nolumus ullatenus, ut idem prepositus inmutetur. Vnde sicut nostram gratiam seruare cupiueris, sic contra eum prepositum nichil attemptes penitus innouare, sed contentus illa paccione uel conuencione permaneas, quam cum eodem fecisti preposito, *prout in priuilegijs super hoc editis continetur expressum* 2).

1.) Cod. habet: *preperea.*

2) Si hæc privilegia, sive documenta nota forent, facile esset statuere, ad quem et quo anno datæ sint præsentes literæ, et de quo Præposito in iisdem sermo habeatur.

XLIV.

Ottocarus commendat Capitulo Wissegradensi, vel Pragensi ad S. Vitum Henricum Protonotarium suum ad vacantem præbendam.

Rogatur capitulum, ut quendam recipiat ad primam vacantem prebendam.

[illegible] ignoremus, quod in Recta statera iudicij singula ponderantes unicuique [illegible]ditis iura sua, quia tamen confidimus, quod nostrorum intui[illegible] [illegible]um illos, pro quibus petiuerimus, habeatis in suis iuribus ple[illegible]nissos, Sinceritatem vestram duximus affectuosius exorandam, [illegible] grati fauoris lumine blandientes, in iure, quod habet *in Ecclesia*

clesia . . r) ad primam vacantem prebendam, eundem H. habere dignemini commendatum.

1) *quatenus H. — in ecclesia* . . . Per literam H. denotari Magistrum Henricum Ottocari Protonotarium ex epistola sequenti perspicuum est. Utrum vero hæ commendatitiæ ad Capitulum Wissegradense vel cathedrale Pragense directæ sint, definire haud possum. Henricus enim Protonotarius in utraque ecclesia Canonicatum habuisse videtur. Inter Canonicos Wissegradenses jam legitur ad annum 1275 apud *HAMMERSCHMIDT Gloria eccl. Wissegrad. p.* 600, item ad an. 1279 *ibid. p.* 509. De Pragensi vero cathedrali ad S. Vitum id innuere videtur Continuator Cosmæ Prag. ad an. 1278 *T. I. S. R. Boh. p.* 427: „*Eodem anno Henricus Pragensis Canonicus et Notarius Aulæ Regiæ XVIII. Kal. Octobris detentus est ad mandatum Cunigundis Reginæ, et multis rebus et pecunia in domo sua spoliatus est. — Idemque Heinricus III. Kal. Oct. a custodia liberatus est*„

XLV.

Ottocarus Capitulo Wissegradensi, vel cathedrali Pragensi gratias agit ob collatum Henrico Protonotario suo Canonicatum.

Rex grates agit de promocione sui prothonotarij.

De promocione Magistri H. Prothonotarij nostri gratiarum uobis acciones referimus, et sciatis pro certo, quod id nobis tante gratitudinis oblectamina reportauit, ut proinde animus noster magna perfusus fuerit leticia, ipsumque nobis ita beniuolum reddidistis, ut promptum se offerat uobis ad quelibet placitura. Quare *uestra discrecio* 1) fauorem in eiusdem promocione fine concludenda laudabili grate *continuans* 2) petimus, quatenus eidem dignemini studiose intendere, ut tanto fiat uobis serenitas nostra promptior ad grata quelibet, quanto uos circa eandem promocionem magis reddideritis diligentem.

1)

1) Ita Codex. Sed legendum videtur: *ueſtram diſcrecionem.*

2) Ita porro Codex. Contextus ſvadet, ut legatur: *continuantem.*

XLVI.

Petrus Præpoſitus Wiſſegradenſis Regis Ottocari auxilium implorat adverſus Joannem tertium Epiſcopum Pragenſem, ſuum perſecutorem.

Regi de Epiſcopo Præpoſitus conqueritur, Rogans, ut ipſum dignetur defenſare 1).

Quanto indignacionis odio, quantiſque perſecucionum moleſtijs iſte Pragenſis Antiſtes, quem patrem et Dominum reputo, vtinam ipſe me dileccione reputaret debita filium et deuotum, indeſinenter me ac inmerito exacerbet, quibus anguſtiarum aculeis, quibus contumelijs me hactenus exprobrarit, et exacuerit in blaſphemijs linguam ſuam, iam ſatis ueſtra nouit ſerenitas, ſatis eſt veſtro culmini patefactum, et cuperem quidem, quod amplius ad veſtre maieſtatis aures de ipſo non aſcenderet clamor meus, nec cogerer pro talibus veſtre inquietare de cetero excellencie pietatem. Sed ecce, quod inuitus dico, et refero lacrimoſus, adhuc patris non reſedit indignacio intricantis, adhuc indigne, Deus nouit, concepte aduerſus filium nouercantis ire feruor non tepuit, nec auerſus eſt adhuc, ſi fas eſt dicere, furor eius. Nam non uidebatur ſibi ſufficere, quod decanum meum probroſis et atrocibus laceſſiuit iniurijs, et tam in archidiaconatus mei iuribus, quam eciam prepoſiture, quam a ſola ueſtri muneris gratia recognoſco me habere, indebite agrauauit, ſed non conſiderans adeptam deuoti pacienciam filij, et equanimem ipſius tolleranciam non *aduertens* 2), beneficij cuiuſdam redditibus, quod michi ab olim conceſſerat predeceſſor eius, felicis memorie *Dominus Epiſcopus N.* 3), me fecit nouiter ſpoliari, indignum fore cenſens, ſi a perſecucionibus deſi-

 ſteret,

fteret, et incandentis fitis ardorem extingueret moleftandi, fines de cetero infeftacionibus poneretur. Quia igitur fola ueftrá clemencia eft michi turris fortitudinis, et prefidium fpeciale, in qua fola fpero admodum et confido, que fola potens eft auxilium mittere de fue folio maieftatis, ad excellencie ueftre noticiam propterea duxi huiufmodi grauamina deducenda, que michi per hunc hominem inferuntur, recurrens ad pietatis ueftre pedes, ut obice veftri fauoris potencie ab impetentis hoftis aduerfitatibus ualeam defenfari.

1) Nihil de altercationibus, quarum præfentes meminerunt, apud fcriptores Hammerfchmidtium, Peffinam et Balbinum, quorum michi poteftas fuit, memoriæ proditum reperi. Hinc etiam de anno, quo datæ fuerint, pronuntiare quidquam haud poffum. Ceterum fupplices hafce literas a Petro Præpofito Wiffegradenfi Regi Ottocaro porrectas fuiffe palam fit ex alia Codicis noftri Mspti epiftola, quam infero.

Epiftola 125. Codicis fol. 110. verfo.

Blande fuadent Epifcopo Canonici Wyffegradenfes, ut cum prepofito debeat concordare.

Benignitatis grate dulcedo et fincere dileccionis affectus, quibus ueftra paternitas nos vniuerfaliter fingulos et fingulariter vniuerfos et noftram ecclefiam eft hactenus fauorabiliter profecuta, et debere profequi credimus in futurum, preftant nobis ortamentum fiducie plenioris, ut uobis noftrarum precum libamina porrigamus, et ideo audacie fumptis fpiritibus clemencie ueftre ianuam, que folet iufta petentibus liberaliter aperiri, concordibus cordibus et concurrentibus ad id uotis, deuotis precaminibus pulfandam duximus confidenter, quatenus nobifcum per continue deriuacionis decurfum benigne, ut confueuiftis, agentes Dominum P. venerabilem prepofitum noftrum, quem ueftra munificencia promouit, et uelut uitis electione (*electe*) propaginem coluit, in finum veftre gracie admittere, recipere in paterne dilecoionis gremium, et amplexari dignemini brachijs caritatis. Ad cuius rei aput uos negocium promouendum, Ecce Dominum P. Relinenfem archidiaconum, Decanum Sancti egidii, deuotum Capellanum veftrum, Kariffimum fratrem noftrum duximus vnanimiter tranfmittendum, quatenus pro parte noftra uobis fe debeat obligare, quod idem prepofitus erit, et ftatuet fe pro veftre arbitrio uoluntatis, ficut deuotum decet filium, ad veftra beneplacita peragenda. Super quo nobis certum uelitis prefigere terminum, in quo et nos pro hijs uobis perfonaliter obligemus, qui de diffenfionis huius corrixacionibus inter nos orte, patre inftigante nequicie, non inmerito conturbamur, cum in membra defluat capitis iactura dolentis.

2) Cod. habet: *auertens*.

3) *Dominus Epifcopus N.*, id eft Nicolaus, mortuus anno 1258, cujus fucceffor eodem anno extitit Joannes III. ex familia Procerum de Drazicz natus, defunctus 21. Octob. 1278. *BALBINUS Mifcellan. Dec. I. L. VI. P. II. p.* 49. *HAMMERSCHMIDT Prodrom. Glor. Prag. p.* 509. *PESSINA Phofphorus fepticornis*

cornis p. 600. Adverto hoc loco ſimul, P. Relinenſem archidiaconum, Decanum S. Aegidii, quem in epiſtola inſerta Wiſſegradenſes Canonici *Kariſſimum fratrem noſtrum* vocant, etiam Petrum fuiſſe appellatum. Id colligo ex recenſione Canonicorum Wiſſegradenſium apud *HAMMERSCHMIDT Gloria Wiſſehrad. eccl. p.* 600.

XLVII.

Ottocarus Domeslao Bohemiæ Camerario injungit, ne præpopere et nimis crudeliter contra malefactores procedat.

Rex Camerario ſuo, quod nimis cito procedit contra malefactores, et crudeliter eos puniat.

O. Dei gratia Rex Boemie dilecto fideli ſuo *Camerario Boemie* 1) gratiam ſuam et omne bonum. Excedit legem iuſticie, qui pluſ, quam uelit iuſticia, conatur iuſticiam conſeruare. Tu uero, prout ueridica relacione percepimus, feruencius rigori inniteris, et nulla relanguens miſericordia, nullaque pietate molleſcens, in cauſis, quas tibi decidendas commiſimus, quaſi penarum ſititor, non equus cenſor, ymo crudelis pocius iudicaris. Nam in Dominam, que virum fraude necauit, inhumaniter inſeuiens, diris cruciatibus interemiſti pregnantem, cum, etſi propter facinus, quod commiſerat, grauiſſime, Sicut feciſti, punienda fuerat, partus tamen tempora debueras expectaſſe. In multis eciam alijs ſumis ulcionem preproperus, ita quod in exigendis penis cenſearis quodammodo delectari. Quapropter attendens diligenter, quod exceſſus ultra progrediens idem, quod remiſſio citra reſidens, facere conſueuit, ſic equitatis examen regere ſtudeas equaliter inter partes, ut ne, dum nimium dexterare niteris, ad ſiniſtram uergere uidearis.

1) *Camerario Boemie.* Camerarius Bohemiæ ſub Ottocaro Rege ab anno 1260, non 1268, ut habet *HAMMERSCHMIDT Prodrom. glor. Prag. p.* 732, uſque in an. 1272 fuit Andreas de Rziczan; poſthac Domeslaus, quemadmodum ad epiſtolam IX. num. 3. adnotauimus. Cum raræ ſint literæ, quas Henricus de Iſernia Otto-

Ottocari nomine vel ad eum scripserat, antequam illius Notarius anno 1273 fieret, post hunc annum præsentes exaratas, et consequenter Domeslao inscriptas fuisse reor.

XLVIII.

Ottocarus Prælato gratias agit ob præstitum Johanni Capellano suo præsidium, idque continuari petit.

Grates referuntur pro beneficijs impensis.

Grates uobis copiosas referimus pro eo, quod Johanni dilecto Capellano nostro arridentes oculo fauorali paterne tuicionis presidium benigne prestitistis eidem, affectuosius exorantes, quatenus in eodem benignitatis continuantes opera, eundem in suis negocijs habere dignemini recomissum, Ita ut precamina nostra sibi profuisse senciat, et nos proinde uobis ad specialium acciones ualeamus assurgere graciarum.

XLIX.

Ottocarus commendat Capitulo Canonici causam.

Ne Canonicus ledatur in suo Jure.

Totis cupientes affectibus, ut tali Canonico vestro in negocio suo, quod uobiscum in eclesia uestra agere habet, exhibeatur iusticie plenitudo, uos affectuose requirimus et Rogamus, quatenus dictum in suo iure causa nostri fauorabiliter persequentes, eidem uelitis et debeatis in suo negocio iusticie copiam ministrare, Sciturí de certo, quod id gratissimum nobis

erit,

érit, si nostras preces in eo curaueritis effectui mancipare, Nosque proinde uobis amico serenitatis nostre oculo fauorabilius blandiemur.

L.

Grates agit *quidam 1)*, et offert se ad beneplacita.

Affectui grato grates debentur, et merito, cum id, quod gratitudo affectat beniuola, uelut illud, quod de sinceritate cordis procedit, dignum sit accione prosequi graciarum. Eapropter dileccioni vestre pro affectu, quem ad nos gerit, grates referimus copiosas, nec solum in eis uobis respondere volentes, verum eciam in hys, que uobis sciverimus esse placitura, maxime cum nostra negocia sint affectui vestre cure.

1) *quidam.* Nisi hoc loco legendum sit: *cuidam*, dubium videtur, utrum epistola præsens Regis Ottocari nomine exarata sit. Ideo sine nova epigraphe ultimam posui.



Sätze aus allen Theilen der Rechts-und politischen Wissenschaften.

Sätze aus dem natürlichen Privat-Rechte.

1.

Die natürliche Rechts-Wissenschaft beschäftigt sich bloss mit Zwangs-Rechten, und mit den ihnen gegenüber stehenden Zwangs-Pflichten, als nothwendigen Bedingungen des Nebeneinanderbestehens mehrerer Personen.

2.

Zur Vollendung der Occupation ist der blosse Wille nicht hinreichend, sondern eine mit dem Gegenstande vereinbarte, einleuchtende Erklärung erforderlich.

3.

Der Eigenthümer ist, ohne Beweisführung, seine Sache dem redlichen Besitzer abzufordern nicht berechtigt.

4.

Die Erwerbung durch Verträge ist einerseits durch eine bedingte Dereliction von Seite des Versprechers, andererseits aus einer Occupation des Annehmers erklärbar.

5.

Die Uibertrettung einer völlig bestimmten, ausnahmslosen Pflicht kann nie ein Gegenstand eines rechtsgültigen Vertrages werden.

6.

Ein widerrechtlich erzwungenes Versprechen kann dem Urheber desselben kein Recht geben.

7.

Die Intestat-Erbfolge ist nach den Principien des blos natürlichen Privat-Rechts, keine Erwerbungsart.

8.

Das Recht zu zwingen ist ein allen übrigen Rechten anhängiges, durch die Zweckmässigkeit und Nothwendigkeit der Zwangs-Mittel bestimmbares Recht.

Aus dem natürlichen Staats-Rechte.

1.

Auch nach vollendeter Erziehung steht den Kindern der Staatsbürger zur eigenmächtigen Auswanderung kein Recht zu.

2.

Nur nach vorliegenden Beweisen, nicht nach eigenem Privat-Wissen, ist der Richter zu entscheiden berechtigt.

3.

Auch das Recht Privilegien zu ertheilen ist ein Majestäts-Recht.

4.

Im Staate sich aufhaltende Fremde können nicht in jeder Rücksicht als zeitliche Unterthanen behandelt werden.

Aus

Aus dem natürlichen Staaten-Rechte.

1.

Unter Nationen gibt es kein Straf-Recht.

2.

Daher auch kein Recht Strafkriege zu führen.

Aus dem peinlichen Rechte.

1.

Der Richter, als solcher, ist nicht berechtigt, vermöge des Grades der Strafbarkeit, in einem einzelnen Falle (in concreto) die gesetzliche Strafe zu verschärfen oder zu mildern; wenn nicht der Regent ausdrücklich ihm dieses Recht eingeräumt hat.

2.

Die sogenannten Gottes-Urtheile oder Ordalien sind ein zweckwidriges Mittel die Schuld oder Unschuld eines Untersuchten zu erweisen.

3.

Das eigene freye Geständniss eines Angeschuldeten, wenn es mit den erhobenen Umständen der That übereinstimmt, ist ein voller Beweis für dessen Schuld, doch nicht der einzige.

4.

Die Folter ist selbst dann unanwendbar, wenn aus der Beschaffenheit des Verbrechens erhellt, dass dem Verbrecher noch Mitschuldige bekannt seyn müssen.

Aus dem römischen Privat-Rechte.

1.

Der Enkel ist verbunden in die Verlassenschaft seines Grossvaters auch das zu conferiren, was sein Vater von demselben empfangen, selbst dann, wenn er die Erbschaft seines Vaters nicht angetretten hat.

2.

Streitigkeiten, über testamentarische Verlassenschaften, können auf rechtsgiltige Art verglichen werden, ehe das Testament eröffnet und von den Partheyen gelesen worden ist.

3.

Es ist dem Richter nicht gestattet, aus Gründen einer vordringenden Billigkeit, von der Strenge des Gesetzes abzuweichen, und eine mildere Meinung anzunehmen.

4.

Ein negotiorum gestor muss den grössten Fleiss anwenden, und für die geringste Nachlässigkeit zu haften im Stande seyn.

5.

Vermächtnisse zu frommen Stiftungen (legata pia) unterliegen der falcidischen Quart.

6.

Der Pflichttheil ist kein Theil des Intestat-Erb-Theiles, sondern der ganzen Erb-Masse.

7.

Der Käufer einer Erbschaft geniesst auch den Antheil aus dem Anfalls-Rechte.

Aus

Aus dem öffentlichen Kirchen-Rechte.

1.

Die Kirche ist eine ungleiche Gesellschaft, welche eine ihr eigene Regierungsform hat.

2.

Die Kirchen-Gesellschaften sind sowohl in geographischen, als im politischen Verstande im Staate.

3.

Der Pabst kann zwar Kirchen-Verordnungen machen; doch müssen selbe in allen Kirchen-Sprengeln kund gemacht worden seyn, wenn sie allgemein verbinden sollen, und das landesfürstliche Placetum erhalten haben.

4.

Die sogenannten Canonen der Aposteln sind unächt.

Aus dem gemeinen Kirchen-Rechte.

1.

Wenn ein Minorist heurathet, verliert er schon von Rechtswegen seine Pfründe; ausgenommen die geschlossene Ehe wäre ungültig, er mag das trennende Ehe-Hinderniss gewusst haben oder nicht.

2.

Das Patronats-Recht ist eine zeitliche Sache; folglich gehören die darüber entstehenden Streitigkeiten vor den weltlichen Richter.

3.

Eben dieses gilt vom Kirchen-Zehente.

4.

Um ein auf unbestimmte Zeit empfangenes Darlehen zu verjähren, ist nach dem canonischen Rechte die bona fides auch nothwendig.

Aus

Aus der Reichs-Geschichte, dem gemeinen und deutschen Lehn-Rechte, und dem deutschen Staats-Rechte.

1.

Die Chur-Würden sind nicht unter K. Friederich I. sondern wahrscheinlich unter Otto IV. aufgekommen, und von Rudolph I. an, führen sie ein ausschliessendes Wahl-Recht mit sich.

2.

Die Sammlung der alten deutschen Lehn-Rechte sind kein gemeines Recht.

3.

Die Lehn-Folge nach dem gemeinen Lehn-Rechte ist eine Lineal-Gradual-Succession, und keine Stamm-Folge.

4.

Bey alten Stamm-Lehn dürfen die Ascendenten ohne Einwilligung der Descendenten und zu deren Nachtheil keine Aenderung in der Successions-Ordnung machen.

5.

Die Belehnung über ein Kirchen-Lehn kann während der Sedis vacans nicht bey dem Kapitel erneuert werden.

6.

Wenn der Vasall eine Felonie begeht, so verliert nach dem teutschen Lehn-Rechte zwar er, und seine Descendenten das Lehn, nicht aber der unschuldige Agnat.

7.

Dem Kammer-Richter gebührt, wenn paria in pleno ausfallen, eine entscheidende Stimme.

8.

Der Landesherr hat das Recht ein unschädliches Simultaneum einzuführen.

Aus

Aus den politiſchen Wiſſenſchaften.

1.

Es gibt keine politiſch gleichgiltige Erſcheinung im Staate, wohl aber bürgerlich gleichgiltige Handlungen.

2.

Die politiſche Vollkommenheit der Staaten ſteht mit der Nothwendigkeit der Ausübung des phyſiſchen Zwanges im umgekehrten Verhältniſſe.

3.

Die Beförderung des guten Geſchmacks durch Anwendung der Producte der ſchönen Künſte, als Gegenſtände der öffentlichen Vergnügungen iſt eines der vorzüglichſten Mittel zu Erhaltung des ſittlichen Zuſtands,

4.

Doch ſind die Grund-Säulen derſelben Religion, Erziehung und Wiſſenſchaften.

3.

In jedem wohlorganiſirten Staate ſind öffentliche Erziehungs-Anſtalten nöthig.

6.

Der National-Reichthum beſteht in dem unverzehrten Total-Product der National-Thätigkeit.

7.

Der Handel iſt zwar ein nothwendiges Reſultat der zunehmenden Bedürfniſſe und der Theilung der Arbeit, aber auch zugleich die unerläſsliche Bedingung der Cultur, des Wohlſtandes, der Macht, Unabhängigkeit und Fried-Fertigkeit.

8.

Geld iſt ein nothwendiges Bedingniſs der Fortſchritte des Handels; es iſt aber doch nicht bloſs ein Vorſtellungs-Zeichen der Waaren, ſondern ſelbſt eine Waare von Tauſch-Werth.

9.

Monopolien ſind ordentlicherweiſe nicht zur Beförderung des inn- ländiſchen Fleiſses und der Induſtrie geeignet, eben ſo wenig die Aus- fuhr-Prämien.

10.

Mauthen, welche den Grundſätzen der Acciſen entſprechen, ge- hören allerdings unter die ſchicklichen Gegenſtände der öffentlichen Einkünſte.